SC. 4. Pl. 6.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
37
4
A
8

P 12

Dd
2
6

FERDINANDI EVSTACHII

PHILOSOPHI, ET MEDICI MACERATENSIS, CIVISQVE ROMANI

DE VITAE HVMANAE à facultate Medica Prorogatione.

DISPVTATIO

AD S. D. N. D. SIXTVM V.

Pont. Opt. Max. Picenum.

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Excudebat Vincentius Accoltus. i[illegible]rgo.
M. D. LXXXVIIII.

S. D. N. D. SIXTO QVINTO
PONT. OPT. MAX.
PICENO.

Ferdinandus Eustachius perpetuam fælicitatem.

QVOD, Beatissime Pater, à sapientissimo viro pulchre, ac scite dictũ esse accipimus, virtutis radices amaras, fructus autem esse suauissimos, id ipsum de ingenuis artibus, & disciplinis potest verè vsurpari. Eos enim, qui illas excolunt, multa pati, algere, sudare necesse est, at qui multa ferendo eas sibi parauerunt, omnes labores cũ parui etiam fructus, quẽ inde colligunt, suauitate non conferunt. Quod ità sanè esse cũ ego sæpe alias tum vero multo magis nunc ætate prouectior intelligo, mecum enim reputens quantum in philosophiæ, medicinæque studijs operæ, laborisq; posuerim, aliquid, atque adeo multum voluptatis capio, cum video, me præsentes aliquot fructus ex studiorum meorum

laboribus non ſolum percipere, verum etiam ex literato meo ſiue otio, ſiue negotio plures, quibus ipſe perfruar, alijsq; impertiar, breui acceſſuros. Cum vero totius vitæ meæ curſum in philoſophorum, ac medicorum doctrina peruestiganda occupatum habuerim, medicinæq; theoricæ in Maceratenſi, praxis vero in Romano, ac Pontificio Gymnaſio ordinaria munera (vt vocant) publicè multos annos obiuerim, nefas eſſe duxi, ſi quemadmodum ex ſuggeſtu multa diſputaui, ac docui, non ſcribendo quoque aliquá ad commune hominum ſtudium ex abditarum rerum, in quibus diutius verſatus ſum, doctrinis, afferrem, eorumque, qui huiuſmodi ſtudia tractant, conſuetudinem imitarer. Quare non inanis gloriæ cupidus grauem ſanè, niſi me opinio fallit, ac difficilem de vitæ humanæ prorogatione diſputationem ex medica facultate alijsq; diſciplinis deprompſi, eamq; quod mihi hucuſque per otium meum non licuit, explicandam ſuſcepi, quam, qualiſcumque ſit, ſub Sanctitatis tuæ volui nomine in conſpectum hominum apparere. Ad quod cum multa me mouerent, tum vero id potiſſimum excitauit, quod cum Sanctitas tua patrem meum Bartholomeũ Euſtachium, qui mea laudatione apud eam non eget, in ſua ſemper habuerit tutela, ſperaui fore, vt me quoque eius filium, & paterna inſtituta

(quan-

(quantum per ingenium licet) imitantem non aspernaretur, immo vero me paternæ in se obseruantiæ vestigia terentem, & quicquid sum, totum Beatitudini tuæ addicentem amplecti, ac fouere dignaretur, & cum aliæ complures sint rationes, quæ me ad id præcipue præstandum impulerunt, ne in ijs recitandis longius immorer, vnum præter alia me mirum in modum impulit, quod mihi visus sum cognouisse Beatitudinem tuam eam esse, cui munus huiusmodi, licet exiguum, atque impolitum, tanquam bonarum artium patrono, & Pontifici omni doctrinæ laude excellentissimo iure debeatur, multo vero magis cum Sanctitas sua perpetua vita pro vniuersalis Ecclesiæ vtilitate, præsidio, atque ornamento digna sit, vilium est decere eos, qui illi vitam perennem cupiunt, aliquid in eam rationem vel disputando conferre, qua quidem in re, & si me magis accipere quàm dare beneficium satis intelligo, tanta tamen est liberalitatis, & benignitatis tuæ magnitudo, vt, cum solita sit, quoties beneficium tribuit, id ab alijs accipere arbitrari, existimare debeam fore, vt ipsa hanc meam exiguam in se voluntatem, ac tenue munus aliquo in numero sit habitura. Quod vt facere dignetur, eam suppliciter, atq; humiliter rogo, vitæq; longitudinem cum optima valetudine coniunctam à Domino illi exopto.

FER-

FERDINANDI EVSTACHII PHILOSOPHI, AC MEDICI.

IN OPVSCVLVM DE vitæ humanæ prorogatione.

PRAEFATIO.

Inter multa, ac varia commoda, atque emolumenta, quæ ab humanis disciplinis ad frequentissimum hominis vsum emanant, & tanquàm ex vberrimo fonte nullo vnquàm tempore non scaturiunt, quæque excelsa admodum, & sublimia, mortalibusque gratissima, & iucundissima existunt, ea communi omnium consensu, & opinione tanquam præclarissima, & suauissima recensetur, quæ ad sanitatem tuendam vitamque prorogandam adinuenta, ac multis rerum experientijs cumulata est. Etenim quemadmodum mors vitæ nostræ aduersa, atque contraria inter reliquas molestias, calamitates, & miserias vltimum terribilium existimatur; ita etiam vita morti

opposita

oppoſita inter dulciſsimas commoditates ſupremum omnium delectabilium reputatur. Omnia enim appetunt eſſe, omnia viuere, omnia propagationem, nihilquè agunt prorſus, quod illius gratia non agant, idquè cum animantibus vniuerſis ſit à natura inſitum, homini præſertim animantium omnium principi eſt perpetuum, ac æternum, qui & vitam quanti æſtimanda ſit ſolus intelligit, & mortem eſſe plurimum formidandam ſolus omnium contemplatur. Mortalem autem hanc vitam quamuis Deus ſua immenſa, & infinita virtute, & potentia nullius egens ope, & auxilio etiam in infinitum protrahere, & differre poſſit, à quo vno principio datum eſt omnibus viuere quibuſdam longius, quibuſdam breuius, Medica tamen facultas, quam nulla regionum varietas, nulla temporum decurſio non ſolum non perturbat; verumetiam inuiolatam omni ſeculorum interuallo conſeruat. Hæc inquam diuinam ſapientiam, ac prudentiam pro viribus æmulata, ſuum non ſolum ſtudium, & opus omne dirigit, vt homini firmam, minimequè morbis obnoxiam valetudinem tueatur, ſed etiam vt lapſam, & male affectam erigat, & in integrum reſtituat, immo mortem ipſam mortalibus ineuitabilem, non ſemel arcet, ac prohibet: atque quod plurius eſt, ſemimortuos ſuo beneficio quandoquè ad lucis vſuram ita reuocat, vt reuiuiſcere quodammodo videantur. Hinc factum eſſe arbitror, vt ex hoc vno maximè, inter alia, de præſtantiſsimo medico illud celebre dictum pronunciatum merito ſit. Homo Homini Deus, quippe qui & vitæ terminum protrahit, &

inter viuos incolumem hominem statuit. Hanc ego vnam mearum disputationum egregiam quidem, omniumque dignissimam licet arduam satis, atque difficilem examinandam discutiendamque suscepi, quam nulli hominum arbitror futuram ingratam, qui vitam (vt debent) mirifice diligunt, & omnem conatum adhibent, vt eam firmam tueantur, atque conseruent. Vt autem huiusce disputationis difficultas eleuetur, nullusque vnquam dubitandi locus relinquatur, diuersas omnium opinantium sententias in medium prius afferre statui suis rationibus communitas; deinde pro mei ingenij tenuitate quid sentiendum sit proponere, aliorum semper iudicio meum non ceruicosus postponens. Vltimo argumentis aduersantibus satisfacere, qua potero dexteritate, conabor. Ita enim futurum arbitror vt quemadmodum ferrum ferro acuitur, & puteus, quo crebrius, & vehementius agitatur, eo clariorem, & puriorem aquam reddit, ita etiam veritas subtili quadam, & peracuta rationum contrariarum ponderatione melius, & subtilius examinata perspicua magis euadet. Ita quoque fiet, vt mens nostra non solum perficiatur, & ad quodcunque arduum peruestigandum modo quodam elimetur, verumetiam indies magis, magisque perpoliatur quousque numeris omnibus absolutissima reperiatur.

PROTESTATIO FIDEI.

Quæcunque à me scripta prodibunt iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ vniuersa submitto.

Ferdinandus Eustachius.

DISPV-

DISPVTATIO DE VITAE HVMANAE PROROGATIONE

AN TERMINVS VITÆ HVMANÆ beneficio Medicinæ possit prorogari.

HAEC *disputatio, quæ longissima est, ne vlla in ea pertractanda signatur confusio, in quinque sectiones distribuetur.*

In prima afferentur argumenta non pauca in partẽ negantem.

In Secunda, adducentur alia in partem affirmantem.

In Tertia præmissis opinionibus res quibusdam propositionibus concludetur.

In Quarta solutiones erunt ad argumenta prioris partis.

In Quinta vero & vltima ad argumenta posterioris, in quibus quæ contra nos facere videbuntur, pro viribus infringimus, ac omnino delemus.

SECTIO PRIMA.

IN partem negatiuam tam multa trahunt, vt vix quidam ab iis se valeant extricare.

Prima Ratio, In rebus omnibus naturalibus est terminus certus, & præfinitus ergo vita, cum illum attigerit non poterit amplius prorogari. Consequentia est manifesta, antecedens probatur ex Arist. 2. de anima te. 41. omnium natura constantium est determinatus numerus, & magnitudo, & pri. Phys. te: 36. res naturales habent determinatam quantitatem.

Secunda ratio Virtus viuificans, ac restaurans deperditum est finita, ergo non potest viuificare vltra terminum suæ virtuti præfixum. Consequutio aperta est, probatur antec. ex Auic. prima primi cap. de compl. ætat. & ex Aristot. 8. phys. te. 78. 79. & 12. met. te. 41. omnis virtus in materia, vel magnitudine existens finita est. Confirmatur etiam lib. 2. de cœlo te. 38. 39. & 71. finitas vigoris est communis formis existentibus in materia, eiusmodi esse virtutem viuificantem, & restaurantem deperditum non ignoramus: quod si alicui ceruicoso virtus restauratiua videatur infinita, & æqualiter semper vno modo reapponere, ita vt id, quod fuit resolutum, restauret in infinitum, tunc vita in infinitum extenderetur, quod quàm absurdum sit, & à veritate alienum, inde colligi facile potest, quia talis est duratio rei, qualis est natura eiusdem rei, sed natura viuificans est finita, vt supra probatum est, quia in magnitudine existit, ergo etiam duratio. Hinc sapienter (vt solet) Arist. 8. phys. te. 79. nullum finitum contingit infinitam potentiam habere, nomine finiti, omnem corpoream virtutem comprehendens & 2. de cœlo te. 71. omnis finiti corporis potentia est ad finitum, immo quod incredi-

credibilius est, etiam si fuerit restauratum id omne, quod fuit resolutum, adhuc secundum Auic. loco citato fieret vltima resolutio, ipsumque humidum consumaretur, nam licet humidum sit proprio termino indeterminatum ex 2. de generat. & corrupt. te. 9. est tamen determinabile alieno, deficiente igitur vitæ pabulo, deficiet quoque is, qui tali pabulo sustentatur. Neque hoc apud philosophos solum est irrefragabile, sed etiam apud Theologos, quorum vnum Sanctum scilicet Thomam referre, qui sit instar omnium, satis in præsentiarum esse arbitror, in prima parte quæst. 7. Art. 2. & 3. (præter Deum) omnia credit, & asserit esse finita, virtutisque finitæ, & determinatæ. In hanc eandem sententiam totius abit torrens Theologorum, immo implicat aliquid esse factum, vel creatum, & esse secundum suam essentiam infinitum, sed de his nihil nunc ad nos. Consulendus est Sotus 3. phys. quæst. vltima & Theologi in primum, & secundum sententiarum.

Tertia Ratio Ars non est potentior quàm natura in suis effectis, Ideo Gal. 7. de vsupar. cap. 13. natura est prior ordine temporis, & in operibus est arte sapientior, quod si ars medica terminum vitæ protrahere posset, quis ambiget tunc artem esse ipsa natura potentiorem? Cumque ars imitetur naturam ex 2. phys. te. 26. & ea, quæ imitantur aliquid, eo ipso, quod imitantur inferiora se esse demonstrent, inferior etiam erit ars, quàm natura, quare si natura adeo potens non est, vt vitam vltra sibi definitum spatium producere possit, impotens erit multo magis ipsa ars ad eundem effectum exercendum.

Quarta Ratio Desumpta est ex Auic. prima primi doc. 3. cap. 3. vnumquodque indiuiduum, inquit, habet terminum præfixum, qui in indiuiduis diuersificatur propter complexionum diuersitatem, & hi quidem sunt termini naturales, sunt vero & alij termini abbreuiati, nunc sic li-

cet argumentari, nullum terminum dixit esse elongatum in tam illustri partitione, sed alium naturalem, alium breuiatum, ergo nec vita vnquàm elongabitur. Cur autem tanta sit terminorum vitæ diuersitas tribuit idem non alicui principio naturali, sed Diuino præcepto, tunc sic vlterius progredimur, quod prouenit ex diuino præcepto non potest mutari, neque igitur prorogari, quia quod prorogatur, mutatur. Si ergo vitæ termini præfiguntur à Deo, non poterunt prorogari, cum Deus sit causa immutabilis, & infallibilis per se. Immo cum eiusdem scientia vnà cum voluntate ipsius sit causa rerum, in quo differt à nostra, quæ à rebus suscipitur, vt etiam confirmat Auer. 12. met. te. 51. motor inquiens primus per suam scientiã ab æterno omnia producit idealibus speciebus præuisa, erit etiam causa terminorum naturalium, aut breuiatorum, non autem elongatorum, cum vllum huiusmodi dari, neget Auic. Illud etiam communi sententia philosophorum, ac Theologorum est receptum præ scientiã Dei falli non posse, quare hora vitæ extrema imminente, vita vlterius ope medicorum progredi non potest, secus Deus falleretur, & à rebus suam scientiam caperet, si homo tantum posset suo ingenio, vt extremum vitæ tempus protraheret.

Quinta Ratio, Vita mortalium in manu Dei est posita quomodo ergo poterit prorogari subsidio medicinæ? legere est 2. sapientiæ produxit Deus omnia cum pondere, numero, & mensura, si cum mensura, & numero ergo illis completis complebitur necessario vita humana Iob 14. breues dies hominis sunt, numerus mensium apud te est; si apud Deum est, qua ratione apud medicos audeat quis constituere additus? constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt, quid clarius? quid apertius? frustra ergo ad vitam prorogandam queritur via. In ecclesiastico cap. 7. numerum dierum scilicet hominis, & tempus dedit, his igitur expletis expleri vitam necesse erit, quare si Deus,

qui

qui prima rerum omnium est causa, & à quo vniuersa in suo esse, fieri, & conseruari dependent, vitæ terminum præfixit, vana erunt medicorum ad vitam pro trahendam inuenta. Immo cum Deus, qui est prima causa, quæ plus influit in effectus, quàm ipsæ causæ secundæ, quæ non mouentur nisi motæ à prima, ex 8. phys. te. 33. non producit viuendi spatium, neque producent causæ istæ secundæ, aut quicquid medicorum industria ægrotantibus administratur. Cumque etiam Deus sit actus purissimus omni carens potentia, continens omnes omnium rerum perfectiones, rebus omnibus finem vltimum præstituens, finem etiam vitæ constituit, qui medicorum inuentis nequaquam poterit prorogari.

Sesta Ratio, Vnumquodque, quod habet principia suæ corruptionis, tunc maxime corrumpetur, cum deficiunt illa principia suo fine terminata, & limitata ergo, maior est adeo certa, vt nullus vnquam ausus fuerit inficiari, minor licet etiam clara sit, adhuc tamen multifariam probatur.

Primo efficiens hanc vitæ prorogationem est restauratio deperditi facta per calorem naturalem nostri corporis transmutantis alimentum, sed huiusmodi transmutatio habens principium suæ corruptionis, suo fine concluditur, ergo & vitæ productio. Notandum ad huius rationis clariorem intelligentiam, in hac trasmutatione fit reactio quædam physica, limitata inter calorem, & alimentum, quod ob hanc causam dicitur contrariũ in 8. phys. te. 55. vt de vt calor naturalis agit in alimentum, sic alimentum agit in calorem, & vt calor agit, ita & patitur, & vt alimentum patitur, ita etiam agit, hinc fit vt ex hac actione, & reactione debilitetur calor naturalis, qui est vitæ maximum principium, quousque tandem deficat, ergo vita pro rogari vltra illum terminum, quo principia deficiunt, minime poterit, exemplo res fit manifestior. Vinum aquæ misceatur,

sceatur, natura vini eiusque qualitates paulatim minuẽtur, & tanta aquæ copia posset infundi, vt vinum in naturam aquæ prorsus in instanti transiret, vt testatur Art. pr. de gen. te. 42. eadem ratione de calore naturali cum alimento licebit argumentari, hinc probe Auer. in prologo primi phys. & in 2. te. 23. & 88. mors ait est vltimum proueniens ex necessitate materiæ, vel humidi, & calidi deficientis, vel alterius tantum deficientis, & alterius dominantis.

Secundo, si non esset vitæ principiis suus certus finis, & corruptionis certa lex, non fieret certa rerum generatio, generatio enim vnius, est corruptio alterius & è contra ex Arist. primo de gæn. te. 17. qua in re notandum quoque à natura intendi non per se, sed per accidens corruptionem, vt sit transitus ad generationẽ ex auer. 4. de gen. anim. cap. vltimo in fine. Vnde si illa conseruare semper genitum posset, non intenderet vtique corruptionem, quare apud philosophos indubitatum est gigni nihil posse, quin præcedat corruptio, neque corrumpi aliquid posse, quin sequatur generatio.

Tertio, Auic. prima primi doc. 3. cap. 3. de complex. ætat. post medium, & forte desumpsit ab Arist. lib. 3. problematum prob. 6. in corpore animalis multas ponit contrarietates, quæ sunt causa mortis, veluti sunt qualitates primæ sibi inuicem resistentes, calor naturalis agens in humidum, qui perimitur per se ab humido, tanquam à contrario, immo calor innatus agens in humidum illud consumando, debilitatur, & ita debilitatus caussat indigestionem, ac humorem quendam aqueum indigestum sua qualitate maxime frigida, & sua quantitate calorem naturalem suffocantem, ergo qualitate vna superante aliam, & calore naturali humidum vincente, aut ab humido superato, progenita materia ad suffocandum idonea, vt corpus animatum corrumpitur, ita vita quoque deficiet.

Quarto,

Quarto, omne compositum ex quatuor elementis, in quæ ex pr.phys. te.65.& 3.met. te. 15.& 3.de cœlo te.5.& test.15. resoluitur tanquam in sua prima componentia, est corruptibile, quicquid dicat Gal.lib.de tabe cap.2.propositionem istam non habere necessariam consequutionem, quod forte censuerit cœlum constare non solum ex materia,& forma, sed etiam ex quatuor elementis, vt quidam alij secundum Platonem in Timæo dixerunt, vel ex quatuor summitatibus,& perfectionibus elementorum, & maxime ignis, vel vt alij dicunt secundum Platonem ex humore aqueo sursum lato, vel vt etiam alij ex aqua, aut ex humore aqueo, si igitur corpus humanum ex quatuor constat elementis, corruptioni erit ob noxium, quo tempore elementa suã inducent corruptionis causam. Hominem autem constare ex quatuor elementis est notissimum, quoniam est quid mixtum, mixtio autem est miscibilium alteratorum vnio ex Arist. primo de gen. in fine, siue elementa actu sint in mixto vel refracta, vel potentia,& elemẽtum ex Ar.5. meth.te. 4.ẽst ex quo res cõponitur primo inexistenti indiuisibili specie in aliam speciem,& ex gal.primo de elem.in principio & 8.de decret.Hip.& Plat.c.2.elementum est minima pars eius, cuius est elementũ, & est ad aliquid sicuti etiam pars,& refertur præsertim ad causam materialem ex ar.2.phys. te.31. Deinde homo habet suam complexionem, & eius causam, quæ secundum Auic. prima primi cap.de complex. est qualitas orta ex mixtione quatuor primarum qualitatum, ex quarum quatuor combinationibus possibilibus quatuor prima corpora vel in esse constituuntur ex alex. asserente eorum esse formas substantiales, vel deprehenduntur tanquam ex eorum propriis passionibus, quod est verius, cum quod vni est substantia, alteri non possit esse accidens, eadem enim res non potest esse per se,quod est subsstãtiæ proprium,& subiecto in existere, quod conuenit accidenti, Ar. primo phys. te. 27. & 30.

& 30. Sanctus Thomas pr. par. quæst. 3. art. 6. in principio præterea ex variis medicamentorum generibus, varij humores educuntur, quædam enim educunt bilem, quædam pituitam, quædam melancholiam, sanguinem vero effluere. quis videbit cũ pars aliqua corporis vulnerata fuerit adeo, vt vlcus efficiatur, nam dubium est an reperiri possit medicamentum sanguinem educens, quodammodo etiam separantur, tum in eorum generatione ex variis chiliparti-bus, tum in sanguinis missione, vt ex musto separatur fex, spuma, aquo sitas, vinum, ex variis quoque partibus, in quibus præsertim residere videntur, nam in liene residet bilis atra, in vessica fellis, bilis flaua, capite & stomaco, pitua, sanguis vero in hepate, cum sit sanguis coagulatus, vel venis, & artriis, vel etiam in cordis ventriculis, in dextro quidem venalis, in siniſtro vero arterialis, necnon ex eorum officiis, quæ in nostro corpore exercent, nam bilis excitat punctione intestina ad expulsionem, melancholiam mordacitate os stomaci ad cibum appetendum, pituita tempore necessitatis nutrit, & per vlteriorem coctionem fit sanguis, est enim sanguis inconcoctus, vnde simul etiam cum sanguine transit in venas, sanguis vero proprie nutrit, tum quòd omnia nutriuntur dulci & suaui, tum etiam quòd solus nutrire potest, bilis vero flaua, & atra vel non nutriunt, vel non nisi cum sanguine mixtæ, ex diuersis etiam morbis, quos efficiunt, facile colliguntur, morbus enim, & sanitas magis ab humoribus vt Hip. quàm ab elemenntis vt Plato, dependent, ex variis denique ætatibus, ac anni temporibus, in quibus quatuor humores quatuor primis elementis respondent, & in ea tandem resoluuntur, vt ex eis componuntur, hic videndus est Galen. 8. de plac. Hip. & Plat. cap. 4. 5. & 6. amplius ex Hipocrate primo de natura humana te. 5. & Gal. primo de elemen. cap. 2. & cap. 3. si homo esset vnum quoddam, non doleret, quia actio fit inter contraria, pari ratione non le-

tare-

taretur. Si ergo dolet, etiam letabitur, subdit ille, si doleret tantum vnum esset genus remedij, quia vnũ in quantum vnum, vnum quoque tantum indicat. Deinde Gal. 8. de decret. Hip. & Plat. cap. 2. refert Platonem in Timæo Hippocrati consentientem corpora nostra ex terra, igne, aere, aqua concreta esse affirmare, & paulo post ex horum excessu, vel defectu, vel translatione morbos in nostris corporibus fieri manifeste asseuerare, quod intelligendum est tanquam ex causis externis, vel mediate, non autem immediate, sic enim exponendus est Galenus dicens in fine capitis 4. Platonem non recte hoc asserere de elementis. cæterum quod Galen. cap. 5. asserit Platonem cum Hip. plurimorum morborum in caussa esse quatuor humores existimare, intelligi debet immediate, propriè, ac magis, vt prius dictum est. Tandem terra apparet in ossibus & carne, aqua in quatuor humoribus, aer in pulmone continetur, nam pulmo est in perpetuo motu, & est vt ventilabrum cordis, ne cor nimio calore dissoluatur, ignis vero continetur in corde, quòd inferius, & in basi est latum, superius vero & in cuspide est acutum, quam formam ignis tenet, vt etiam in combustione, cinis est terra, humiditas partes continuans tenet locum aquæ, fumus aeris, flamma vero ignis, vel aliter, cinis terræ respondet, liquidum effluens aquæ, pabulum ignis aeri, fumus igni, nam flamma nihil aliud est quàm fumus ardens. Ex variis igitur elementis constat hominem esse conflatum, diuersisque humoribus coalitum. Hinc elucet error asserentium ignem omnium rerum principium, nam si quatuor sunt principia componentia scilicet quatuor elementa, non est vnum principium solum, ignis videlicet, aut aer, aut terra, aut aqua, cuius hippostasis & tanquam fex sit terra, tenuis pars sit aer, tenuissima vero ignis, vt est videre apud Plutarchum lib. primo de Plac. philosophorum cap. 3. & Lactantium lib. 2. cap. 10. præ-

ter alios nonnullos doctores, quos breuitatis gratia recenſere ſupersedeo. Ex quo etiam refelluntur negantes dari ignem tanquam quartum elementum, vt etiam negantes dari ſanguinem tanquàm quartum humorem componentem maſſam humoralem, ſeu ſanguineam, vt vocant, & ab ea, aliiſque tribus humoribus diſtinctum, de qua re videatur Iacobus de par. prima primi cap. primo de humoribus; & Turris in art. medic. Ex eo præſertim, ſi verâ eſt ſententia Ariſtotelis 10. met. te. 14. & in primo de cœlo te. 10. vni vnum tantum eſt contrarium, & ſi vnum contrarium in natura datur, aliud quoque reperietur, & contrariorum ſi alterum determinatum eſt, & alterum determinatum erit in primo de cœlo te. 44. Niſi tamen nomine ignis Deum intelligant, vnde Deuteronom. capit. 4. legitur De patre, Dominus tuus ignis conſumens eſt, & Sanctus Paulus ad Hebreos cap. 12. in fine, & Pſalm. 119. De filio, ignitum verbum tuum nimis, & Actuum 2. de 3. perſona, apparuerunt illis diſperditæ linguæ tanquam ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Ignis fuit etiam habitus pro Deo, ne noceret Perſis, & aliis gentibus, Cælius Aurel. 8. lib. antiquarum lectionum cap. 36. licet ſecundum alios honores igni fuerint exhibiti non religionis gratia, verum propter formidinem rei valde nocentis. Sed & ignē Deum eſſe putarunt ex antiquis Philoſophis, Hippaſus Metapontinus, & Heraclius Epheſius, vt refert Clemens Alexandrinus in oratione ad hortatoria ad gentes, præter alios, qui referuntur ab auctore libri ſapientiæ cap. eius libri 13. & quidam ſtoici Dei naturam ex igne conſtare dicebant, vt tradit Ioannes Damaſcenus in libro de Hæreſibus, & Plato dixit, ſupremum Deum in ignea eſſe ſubſtantia, vt ſcribit Iuſtinus Philoſophus, & Martyr. in admonitorio gentium, & Deos vt plurimum eſſe igneos, vt tradit Laertius, forte, quod vt ignis eſt maxime actiuus

inter

inter omnia elementa, imo inter omnia agentia inferiora, & corruptibilia, cum omnia hæc consumat, & solus sit imputrescibilis, cætera vero omnia inferiora, & corporea putrescant ex Ar. 4. met. cap. 2. Sic Deus sit solus omnipotens inter omnia agentia simpliciter, & nihil illi possit resistere, ac omnia ab illo acceperint esse, quædam quidem clarius, quædam vero obscurius, immo adeo omnipotens est, & bonus, vt benefaciat etiam de malo, quod ad infinitam Dei bonitatem pertinet, Sanctus Thomas pr. par. quæst. 2. art. 3. ad primum & quæst. 48. ar. 2. ad tertium ex Sancto Aug. in Enchir. Platonem tamen reprehendit Ar. in lib. ad Alexandrum Homeri auctoritate, licet Iustinus scribat Platonem eam opinionem sumpsisse ex sacris literis, & voluminibus, alij etiã voluerunt Deum in igne habitare, qui si nomine ignis cœlum empyreum intelligant, bene quidem, cum ab igne dicatur, quod mire sit lucidum, & ingenti claritate præditum, & est sedes, domicilium, ac patria Dei, angelorum, & beatorum spirituum ex sententia omnium Theologorum, licet etiam Deus vbique sit per essentiam, præsentiam, & potentiam; Hoc tamen cœlum ab Astronomis nullo modo cognosci potest, cum non moueatur, nulloque sydere sit præditum. Cæterum Sanctus Damascenus libro citato ait ignem in templis asseruari, vt diuinæ naturæ quasi symbolum esset & propterea capitale fuisse, si sacerdotes ignem in templis extingui permitterent, tanquam Diuinitas ex eo loco arceretur, & veluti deleretur. Verum ad rem nostram reuertamur.

Quinto quod compositum est ex neruis, venis, & arteriis est obnoxium corruptioni, vt tradit Gal. de vsu par. lib. 14. c. 2. natura, ait, si licuisset per materiã, immortalem fecisset hominem, sed quoniam materia repugnat, cum omne compositum ex venis, neruis, & arteriis corruptibile sit, propterea quod potuit subsidium ad immortali-

tatem præstitit, dum hominem ex homine producit. Ob eandem causſam lib. primo de san. tuenda reprehendit dicentes dari perpetuam valetudinem, quoniam omne genitum corpus, sicuti genituræ, ita etiam interitus causas ab initio secum naturas habet.

Sexto Vlterius materia prima, & materia secunda ex contrariis constant, quæ sunt causſa corruptionis, omnia quoque mixta in se continent principium corruptionis, materia continet semper in se priuationem. Arist. primo phys. te. 80. inde mira illa formæ appetentia, vt fœmina marem, & turpe pulchrum, quæ tanta est, vt vix vna forma corrupta aliam indesinenter acquirat, in his vero inferioribus, an sit vlla forma, quæ possit explere totum appetitum materiæ, aliis discutiendum permittimus.

Septimo Contraria manent in mixto fere violenter, idcirco naturaliter quærunt redire in proprium locum, quod si in mixto summa pace videntur vnita, quod vniuersalis naturæ opus est species rerum conseruare volentis, id tantum pro tempore fit, quo forma omnes contrarietates illas quasi sopitas detinet, siue illa ex ipsis producatur, siue de foris adueniat, cum ergo forma omnis sit finitæ virtutis, non poterit diu retinere tot, & tam magna contraria, quin suo tempore inducant interitum. Hinc illud vulgatissimum nullum violentum, præsertim cum careat sibi forma naturali, est perpetuum vt Gal. & Arist. 2. de cœlo te. 18. nihil præter naturam sempiternum est, immo est ipsi naturæ inimicum vt Hip. 2. aph. te. 51. ipsum violentum.

Octauo Neque solum à principio interno mors proficiscitur, sed etiam ab externis, & quidem pluribus, quia corpora cœlestia suo motu, lumine, & virtute stellarum resoluunt corpora nostra, virtutemque illorum, vt cætera omnia sublunaria, ideo vtrumque complexus breuiter Gal. pr. de san. tuen. cap. 2. in principio scribit corpus nostrum à duobus corrumpi, quorum alterum est nobiscum

scum ingenitum, & vitari non potest, & oritur ex principiis generationis, veluti à radice, alterum vero extrinsecum, & illud est multiplex qualia sunt cœlorum motus, elementa quatuor, & alia extranea vt frigus, quod per se dicitur non habere vim producendi formam substantialem mixti, & vt sic, non ingredi opus naturæ, immo paraliticare ex Auic. nec non valde nocere nostro corpori, ex Hipoc. 5. Aph. te. 17. & 18. & lib de fracturis, ac humidorum vsu, & calor, quo fit interitus hisce de causis, cum enim calor extrinsecus non est conueniens calori naturali, ipsum aut dissoluit, aut frigefacit, vt minor flamma comburitur à multa secundum accidens ex Arist. lib. de longit. & breu. vitæ cap. 2. ideo sequuntur multæ putrefactiones in æstate, nã cum calor naturalis est debilis non potest congregare materiam, & illi dominari, vnde fit putris, vt accidit in corporibus senum, & mortuorum, immo etiam multa vt ita loquar elementata præter sex illas res, quæ à medicis dicuntur non naturales, sunt causa corruptionis.

Nono Corpus nostrum est in perpetuo fluore vt Galen. primo de sanit. tuen. ca. 2. & primo aph. te. primo, & Arist. primo de gen. te. 36. materia semper fluit, forma autem manet, corpus enim nostrum vt Gal. primo, aph. te. primo est valde mutationibus obnoxium, & facile alteratur à causis internis & externis, vnde occasio præceps, ergo ali quando etiam necessario dissipabitur.

Decimo Si homo hominem generat, mortalis mortalem, qua ratione fierit potest, vt homo homini præstet immortalitatem? recte ergo Auic. 3. prima, capit. primo non est ars, quæ nos à morte securos efficiat, non desunt aliæ sacrarum litterarum, & illustrium virorum auctoritates à nostro instituto non procul remotæ, aut alienæ, Sanctus Paulus ad Hebreos capit. 3. scriptum reliquit statutum est hominibus semel mori. Dauid Psal. 88. quis est

homo,

homo, qui viuet, & non videbit mortem? legantur sacræ literæ Mosis à principio homines mortem omnes pertransisse reperientur, nullaque persona humana inuenietur, quæ mortis sagittas effugerit, & si forte quasdam reseruatas personas adhuc fuisse, quis attulerit, id diuino consilio factum credimus, & testamur. Sed ex Ethnicis Plin. lib. 2. cap. 6. Deus mortales æternitate donare non potest, eo enim ipso, quod quis mortalis est, natura æternus esse non potest. Homer. lib. 3. Odis. ne amicum quidem virum Deos à morte vindicare, quia inexorabile fatum omnes infesta morte domitat, etiam Homer. in 6. illiad. nemini datum est mortem effugere siue ignarus sit, siue strenuus, nam omnes nascuntur eadem mortalitatis conditione. Virg. 10. Aeneid. stat sua cuique dies. Horat. in poet. Mors æquo pulsat pede & pauperum tabernas, regumque turres, valeat insuper auctoritas non nullorum eamdem probantium determinationem, quorum quidam refellunt asserentes mortem à natura profectam, beneficio medicinæ posse produci. Alij vero nullo ingenio homines suæ vitæ finē transgredi posse asseuerantes. Nec prætereundam hoc loco Galeni historiam dignam risu existimo, is enim libro de tabe, & marcore c. 2. deridet quendam philosophum, qui scripserat librū, quo conabatur docere viam ad immortalitatem, & quonam pacto omnino quis non senesceret, contra quem senectus, inquit Galenus, est secundum naturam, quare euitari non potest, eo præsertim tempore, quo inducitur à natura, quoniā opera naturæ necessario eueniunt, nec momento quidem temporis intermisso, vt docet etiam Arist. 4. Metheor cap. 2. adiungit Gal. eandem prosequens historiam, illum philosophum fuisse quadragenarium, cum in eā insaniam deuenit, quam hominibus etiam persuadere conabatur numquam videlicet senescendi, cum vero peruenisset ad annos LXXX. factus fuit ita gracilis, & siccus, vt videretur habere faciē Hippocrati-

craticam, nasus illi erat acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ, contractæ, & imis partibus leuiter versæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, vnde suomet exemplo edoctus, alium secundum librum conscripsit inuitus, ac nolens de admirabili senectutis vacuitate, dixitque non omnes, mutatus à priori opinione, posse insenescibiles permanere, sed tantum optime à natiuitate constitutos, quos tamen si ipse ab initio infantes educasset, & prima educatione talia sint iacta fundamenta, eorum corpora immortalia reddidisset. Sed ait Gal. quod ipse non poterat redargui, quoniam priusquàm tales pueri in viros euasissent, ipse iam mortuus fuisset. Quare hæc est pœna leuiter enunciantium, nõ tantũ turpiter labi, sed ad diuersas, ac penitus dissidentes abire, protrahique sententias, quarum vna summa ignominiæ labe, ac dedecore prius fuerat ab ipsis probata, ac defensa.

Septima Ratio Ex senttia quormndam Theologorum secundo sententiarum dist. 19. (aliis tamen repugnantibus) si homo non peccasset, sed in statu innocentiæ perstitisset, subdi tamen potuisset morbis, quod si diu etiam absque morbis relictus vixisset in terra, tandem aliqua tabe confectus perire potuisset, nec lignum illud vitæ virtutem habebat perpetuam vitam agendi, aut vltra debitum prorogandi. Cum ergo facultas medica nihil habeat ligno vitæ efficacius ad vitam conseruandam, ac defendendam, protrahere vitam nequaquam valebit. Vnde falso, & turpiter Empedocles profitebatur pharmaca quædam, quibus motbi, & senectus arceretur, quod si id se effecturum speraſſet, nunquam se præcipitem dediſſet in Aethnam semper, vt dicebat, victurus cum diis, vt refert Lactantius lib. 3. cap. 18.

Octaua Ratio si vita posset prorogari, eadem ratione posset etiam perpetuari, probatur sequela, nam vt se habet minus ad minus, sic se habet magis ad magis, sed con-

sequens

sequens falsum est, falsum quoque erit id, ex quo consequitur, esse autem falsum consequens, quis non videt? dicatur obsecro quomodo numerus electorũ cõpleretur, si vita hominis in hoc mundo extendi posset ad perennitatem? quomodo etiam terra talem, & tantũ numerum hominum pati posset, illisque alimenta ministrare sufficientia? si hoc tempore, quo peste plurimi pereunt, quoue non pauci ferro, aqua, & igne rebusque aliis mortem afferentibus intereunt, est tantus numerus mortalium, vt vix eos tellus capere possit, qd si nullus ex hac vita migraret? quid quod in dies plures, & plures etiã nascuntur? si tantum philosophia abhorret infinitum in actu, quod existere nullo modo actũ posse contendit, non ne tunc actu infinitum daretur? sed hæc afferre inconuenientia, fines excedit nostræ disputationis, & instituti nostri rationem peruertit.

Nona Ratio mensura & mensuratum sunt æqualia, & homogenea, vel vt Arist. 10. Met.te.4.& 4.phys.te.119. & te. 133. est eiusdem generis cum mensurato, sed mensura & periodus vitæ sunt definita, vt dictum est, & probat Ar. 2.de gen.& corr.te.57. vnde illud stat sua cuique dies, ergo etiam vita est determinata. Istarum enunciationum nulla indiget probatione, adeo clara quælibet existit, tam exemplo discretæ quam continuæ quantitatis, tam secundum multitudinem, quàm secundum magnitudinem. Ideo Arist. 10.met.te.3.& 4.& 3.Phys.te.59. mensuram quamlibet vult esse finitam, quod si fundamentum totius huiusce veritatis quate mensura, & mensuratum sua periodo terminentur, quis desideret, is accipiat ex Ar.pr.metheor. cap. pr. mundus inquit hic inferior necesse est, vt contiguus sit superioribus lationibus, vt inde omnis virtus regatur, & conseruetur, quale ergo est continens, talia erunt etiam & contenta, finitum illud, ergo & finita quoque omnia illo comprehensa; ergo & vita etiam finita erit, &

erit, & ſuo fine concluſa. Vnde fit, vt Ariſt. 2. de cœlo te. 74. & 2. de gen. & corr. te. 50. & 4. de cœlo te. 23. & 35. terminantis proportionem ad determinatum eandem fecit, quam inter materiam & formam; vtraq. enim in eodem ſe habent modo, vt continens, & contentum, & his affinia.

Decima Ratio tantum quiſque poteſt, quantum forma ſua permiſerit, ſed ipſa forma vitæ eſt terminata, ergo & actio talem formam habens. Maior eſt Boetij 2. topico. cap. 2. quia ſi forma dat eſſe rebus omnibus habentibus illam, ex 2. de anima te. 37. dabit etiam & operari, quod ad eſſe conſequitur, ſi ergo forma eſt principium operationum, vt etiam habetur 2. de anima te. 24. & 2. phyſ. te. 17 & 2. de generat. & corr. te. 53. habens tale principium operabitur quanto tempore ſecum erit principium operandi, & ita etiã operabitur, vt eſt virtus ipſius formæ. probatur minor, quia licet anima rationalis, quia immortalis eſt, ex ſui natura poſſit informare æterno tempore, tñ in hoc quia forma eſt corporis finiti, finita eſſe dicitur, non enim eſt ita perfectio illius, vt ab eo prohibere poſſit corruptionem, immo ſi in homine eſſet virtus infinita tempore, quæ ſic poſſet informare æterno tempore, ſequeretur in corpore compoſito ex materia, & forma eſſe virtutem infinitam vigore, quod falſiſſimum eſſe probat Auer. etiam in cœleſtibus corporibus in lib. de ſubſtantia orbis. Commune eſt igitur omnibus formis, vt deficiant aliquando, cum quælibet earum ſit terminata, & in materia determinata ſuſcipiatur, & ſi forma cœlorũ eſſet infinita duratione, illa ſublunaris non eſt, & cum cœlis aſſiſtat, non eſt principium intrinſecum, ſed extrinſecum, ex 8. phyſ. te. 79. de qua materia modo non loquimur, ſed ſolum de forma intrinſeca informante agimus, & cum colligi non poſſit ex aliquo formã cœli intenſiue eſſe infinitam, multo minus infinitam eſſe colliget quiſpiam aliquam for-

mam corruptibilium, quare vnica, & sola virtus infinita intensiue est, quæ non recipitur in materia, vt tradit Arist. 8.phys.79.si igitur anima hominis potens non est, vt possit motum perpetuum tribuere corpori, nec vitam perpetuam præstare poterit eidem, ergo suo tempore vita deficiet. Quod autem hoc loco posset dubitari, quomodo anima rationalis habeat potentiam informandi æterno tempore, & ipsi non respondeat potentia passiua corporis humani recipiendi talem iuformationem, pertractabitur à nobis in nostro opusculo de nobilitate hominis.

Vndecima Ratio effectus cum sua causa debet esse proportionatus, quia qualis est causa, talis est effectus, sed causa vitæ, siue sint cœli, siue alimenta, aut aliquid aliud, est determinata, vt hactenus est probatum ergo.

Duodecima Ratio cuius totum est determinatum, & partes sunt determinatæ, quia eadem est ratio totius, & partium, vt etiam locus, & motus Arist. primo de cœlo te. 19. ac etiam de motu primo de cœlo te. 73. sed principium & status, augmentum, & decrementum vitæ, quæ sunt partes eam constituentes secundum Medicos, sunt determinata, ergo partibus vitæ non extensis, vita nec extenditur; vitam autem habere principium, augmentum, statũ, & decrementũ, quod totum in minori propositione concluditur, nullus est, qui non videt, & experitur. Immo cum finis sit vitæ pars, & is sit finitus, & determinatus, ita vt protrahi non possit, finita quoque erit vita, & vlterius nunquàm protrahenda.

Decimatertia Ratio si vitæ alicuius terminus in particulari promoueri posset, sequeretur vnum eundemque hominem posse viuere plus, & minus, probatur sequela quia potest esse vt quis ratione suæ complexionis viueret annis LXXX. sed ratione aspectus cœlestis tantum LX. ecce quomodo vnus viueret minus. Item à contrario ex conditione indiuiduali posset quispiã attingere L. annos,

sed

sed ratione naturalis suæ complexionis scilicet sanguineæ ad LXX. annos perueniret, ecce hic quomodo eadem ratione duceret vitam longiorem.

Decimaquarta Ratio Ea, quæ quanta sunt, licet ratione quantitatis per se sumptæ, & mathematice nō habeant maximum vel minimum, tamen vt sunt in vniuerso, & physice debent habere maximum vel minimum, maximum quidem positiue, vt primum cœlum & minimum etiam positiue vel negatiue, vt atomus, aut si quid atomo fingi potest longe minus, vitam autem esse quantam, nemo sanæ mentis negabit, & nos paulo superius ostendimus. Præterea in vna quaque specie rerum naturalium datur maximum, & minimum, quoniam natura abhorret infinitum, ergo & in genere vitæ illud esse dabitur. Amplius natura viuentium habet determinatam magnitudinem & paruitatem intrinsece vt Aristot. docet primo phys. te. 36. 2. de anima te. 41. cur non & vita, qua natura viuentium conseruatur? elementa quoque habent certam magnitudinem, & paruitatem, extrinsece videlicet magnitudinem à cœlo, paruitatem à mixtis, ergo & vita ex illis tota dependens. Ad hæc elementa intrinsece habent determinatam magnitudinem simpliciter propter formas eorum, quæ sunt terminatæ, licet secundum quid non habeant determinatam magnitudinem, sed augeantur in infinitum vt Arist. placet 2. de anima te. 41 nam tantum augebitur ignis, quantum affuerit combustibile, habent etiam determinatā paruitatem intrinsecè, de qua re licet sit dubium inter quosdam, nos tamen sequentes doctrinam affirmantium cum illis dicimus res omnes per se existentes in mundo habere determinatam paruitatems & magnitudinem, quam etiam ipsa vita habebit, vt remundi ambitu comprehensa. Item partes Etherogeneæ, quæ alteri inexistunt, in hoc differunt à partibus similaribus alteri inexistentibus, quia illæ habent determina-

tam paruitatem, & magnitudinem, istæ vero magnitudinem quidem determinatam, non autem paruitatem sibi vendicant, de his partibus simile quoddam videre est apud Galenum lib. 6. de Decret. Hipocratis & Platonis cap. 2. in fine videlicet totum esse sibimet continuatum & ex partibus æterogeneis numero definitis esse compositum, sed partium similarium multitudinem nullo posse numero circumscribi, quocunque igitur vitam reducis, suam habebit quantitatem ratam, ac desfinitam. Item indiuidua raro attingunt maximam magnitudinem, & minimam paruitatem, ergo etiam vita viuentium, quæ sunt indiuidua, est determinata, & non potet rit à medicina prorogari, immo nec ita secundum plurimum, vt attingat maximam quantitatem sui.

Decimaquinta Ratio Deus oĩa præcognouit ab æterno, etiam minima, quale vel erit vltimũ punctum vitæ, ergo necessario vita finietur, quando Deus præuidit finiendam, ergo à medicis vlterius protrahi non potest, quod vt clarius percipiatur. Notandum hic erit omnia ex necessitate consequentiæ, & non consequentis euenire, quæ fiunt, ita fieri necessario ex suppositione, non autem absolute, vel vt alij dicunt in sensu composito, non in sensu diuiso, præscientia igitur Dei non imponit necessitatem rebus, nec tollit contingentiam, sed cum ea manet, & licet Deus sit agens liberum, tamen res non poterit non ita esse, vt Deus præuidit ab æterno, quia aliter Deus falleretur, nam omnia futura repræsentantur ei in sua æternitate tanquam præsentia, & secundum actualem, & determinatam existentiam, quam sunt habitura, etiam si actu non existant, sed futura sint in fine mundi, ideo ea certo cognoscit, & hac ratione necessario erunt, ac si diceres, cum actu res sunt, necessario sunt, sicuti Petrus sedens dicitur contingenter sedere, & dum sedet, non potest non sedere, & vt sic necessario

sedet,

sedet, vnde sanctus Thomas prima par. quæst. 14. art. 13. ad secundum, ait quod Lapis extra animam habet esse materiale, & singulare, sed vt intelligitur ab anima habet esse immateriale, & vniuersale, & ita se habent duo ista esse, vt vnum horum non impediat aliud, sic etiam contingens absolute semper est contingens secundum suam naturam, at relatum ad scientiam Dei quodammodo eueniet necessario, neque hæc necessitas excludit illam contingentiam, cum igitur Deus ab æterno cognouit terminum præfixum speciei humanæ, vel vnum, vel varium secundum diuersa tempora indiuiduorum, & modum ipsius termini, non potest prolongari hic terminus, nam contingentia non est respectu Dei, sed respectu nostri. Addatur etiam quod licet Deus potentia absoluta possit aliter facere, tamen quia se determinauit ab æterno, ita faciet necessario.

Decimasexta Ratio Humidum radicale non potest euadere melius ex cibis appositis, quàm fuerit deperditum, vt vita magis sit perennis, ergo vi medicinæ nec vita poterit vltra progredi; Nam si qua ratio est, qua vita videatur posse prorogari ea est ex restauratione melioris humidi radicalis, quo meliori existente, vita etiam melius ducitur, & diuturnius, at illud fieri minime valet, ergo neque quod inde sequitur. Antecedentis veritas patet ex sequentibus.

Primo si id fieri posset corpus, & virtus informatiua numquam senescceret ex Galeno 10. met. cap. 10.

Secundo si id esset possibile, ergo posset reuerti idem senex ad pueritiam, & habere oculum iuuenis, vnde videret vt iuuenis, ex Arist. primo de anima te. 65.

Tertio corpus fieret immortale, & duraret perpetuo, ac numquam corrumperetur. Si ergo perpetuo posset fieri additio melior, iam patet quæ absurda sequantur. de ea dici posset quod in secundo de anima te. 41. de igne asseri-

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

ferítur, si adesset igni cõbustibile, is augeretur in infinitũ, nam vt se habet parum ad parum, sic etiam magis ad magis. Quod si obiiciat aliquis contra hoc humidum radicale aliquando fieri melius pro vita, sicuti cum sanantur hectici extenuati, ergo aliqua saltem vita produci potest facilis est responsio, illud aiunt humidum fieri melius respectu siccitatis ægritudinis hecticæ, non autem siccitatis acquisitæ per generationem, vnde fit corpus semper siccius, non humidius, accipiatur ergo puer, qui naturaliter sit humidus in IIII. anno in tribus gradibus, & in VI. anno vno cum dimidio, si ab hectica in IIII. anno liberatur, tamen in VI. anno non propterea erit humidus in tribus gradibus, sed solum vno cum dimidio, quoniam siccitas illa ætatiua ex actione caloris in humidum numquam prohiberi potest, quin semper procedat, licet in quibusdam plus & in aliis minus. Hinc aliquis potest colligere (aiunt hi) differentiam inter senes, & pueros eadem hectica liberatos, quod pueri in hectica exiccantur qualitatiue tantum, sed senes exiccantur tum qualitatiue; tum substantifice, videlicet loco partium aerearum, senibus apponuntur à nutrimento partes terrestres, & siccæ in substantia. Vnde licet senex cum sanatur qualitatiue rehumectetur, tamen remanet in eo siccitas substantifica.

Quarto Gal. in teg. cap. 59. ait solidas, & primas partes non posse fieri humidiores per nutrimentum, ergo multo minus ipsum humidum radicale potest melius regenerari per nutrimentum, & idcirco 10. met. cap. 10. de Marasmo loquens ait non posse vere curari propter maximam siccitatem, deinde fortior videtur esse siccitas ætatiua, quàm siccitas marasmi, cum igitur hæc curari non possit, ergo neque illa.

Quinto accidit etiam non raro humidum radicale alicuius complexionis melioris, fieri deterius ad vitam in ætate poste-

posteriori, quàm humidum radicale alicuius complexionis peioris in priori ætate, vnde talis regressus est impossibilis.

Sexto si mediante medicina humidum radicale posset melius restaurari, ergo etiam per eandem in peius produci, cum contrariorum eadem sit disciplina, immo facilius sit destruere, quàm construere, sed hoc est falsum, ergo & illud, minor probatur, quia variato humido radicali variatur quoque complexio, qua variata in brutis, vel etiam homine, (supposito quod actu in homine sit anima sensitiua, & vegetatiua) etiam possent corrumpi hæ animæ secundum vnam partem saltem corporis, nam vt per oppium fit stupefactio partis, ita etiam per illud corruptio fieret supradicta, quod totum est absonum, & à ratione alienum.

Septima Ratio complexio naturalis non potest permutari in meliorem, ergo neque vita potest prolongari probatur prius consequentia quia prolongatio vitæ supponit permutationem complexionis peioris in meliorem, quoniam ex mutatione complexionis in meliorem sequitur melius humidum radicale, & consequenter ex humido radicali potiore prolongatio vitæ, quare si medicina nõ potest permutare complexionẽ, quod est minus, quàm vitã protrahere, nec valebit protrahere vitæ cursũ, quod est maius, quàm mutare complexionẽ, ob eam regulã, si quod minus est, nõ potest, neque poterit quod est maius, quæ regula alteri regulæ Topicæ innititur, si quod magis videtur inesse non inest, nec quod minus, probatur antecedens.

Primo natura est determinata ad vnum, vt ad vnum etiam est ars, ergo sicùt natura non potest mutare corporis temperamentum, ita nec facultas medicinæ, quod si idem remanet temperamentum, & verum sit, quod communiter fertur, idem in quantum idem semper facere idem ex 2. de gen. te. 56. eadem complexio causabit eundem ter-

minum

minum vitæ, non autem longiorem.

Secundo Omnis mutatio fit à contrario in contrarium ex Arist. 8. phys. 62. si ergo temperamentum mutatur in complexionem contrariam à contrario mutabitur, cumque ab extremo ad extremum non fiat transitus nisi per medium, tunc semper in mutatione complexionis deberet deueniri ad medium, in cuius transitu tunc, & in eodem, in quo instanti ambæ pertranseunt, aut essent eædem omnino, quod rationi aduersari videtur, aut in vno subiecto simul, & semel essent duæ complexiones penitus oppositæ, & aduersæ, quod repugnat in natura contrariorum ex 10. met. te. 13. & aliis locis, quibus contraria eidem simul inesse non posse, dicitur. Quod si quis opponat in contrarium esse experimentum.

Primo in esurientibus, qui dum comedunt simul, & semel tristitiam patiuntur, & gaudium, tristitiam quidem causatam ab esurie, & gaudium profectum ex comestione, si adiiciat etiam alius.

Secundo In scabie laborantibus, qui dum scalpunt vna eademquè operatione lætantur, ac mærent.

Tertio In oppressis febre empiala & lypiria seu lissuria, quorum corpus totum simul torquetur frigore, & calore.

Quarto In statu morbi materialis salubris materia est valde bona, & digesta, & ideo concoctio apparet in vrina, & etiam est valde mala, & putrida, vnde accidentia sunt fortiora in statu ex Hipocrate 2. aph. te. 30. & idcirco quiescendum est in statu ex eodem Hip. 2. aph. te. 29. etiam est cibus subtrahendus primo aph. te. 8. sic etiam 2. aph. te. 47. ait Hip. dum pus cõficitur, dolores & febres maiores fiunt, quàm confecto iam pure secundum aliquos.

Quinto In potentia visiua simul est album, & nigrum in auditu sonus suauis & in suauis, acutus, & grauis, in olfactu odor gratus, & ingratus, in gustu amarus, & dul-

dulcis sapor.

Respondeo ad primum cum Alex. lib. primo naturalium quæst. 12. mœstitiam, & gaudium esse contraria, si ad idem comparentur, non autem si ad diuersa, quia non cuilibet delectationi opponitur quælibet tristitia, sed determinata determinatæ, & quum ista accidant diuersa ratione, ideo non opponuntur. in esuriente enim est tristitia ratione habita nutrimenti inopiæ, aut indigentiæ, lætitia autem ex ciborum assumptione inopiam remouentium.

Ad secundum eadem responsione fit satis, dolet scalpendo non quia scalpit, sed quia eo actu indiget, gaudet autem, quia euaporat humor ille inter duas cutes incluſus.

Ad tertium cum Galeno in lib. de inæquali intemperiei, & lib. 3. de simplic. medic. cap. 3. & cum Auicenna in 4. can. capit. de febre emphiala, & cum conciliatoe, in propria differentia 92. de hac causa, cur corpus simul sentiat frigus & calorẽ, est humor actu calidus, & actu frigidus, qui vterque per minimas corporis partes effunditur, ita vt non sit aliqua pars corporis, quamuis minima, quam inuaserat frigus, ad cuius latus non sit pars alia parua concepto calore calida, & quia partes illæ sunt exiguæ, ob eam causam sensus iudicat in eadem parte esse frigus, & calorem, sed re vera sunt partes diuersæ calorem & frigus sentientes, & exemplo res fit manifestior, vt ibidem tradit Galen. Accipiat aliquis absinthium melle intinctum in æquali portione, voluatur illud lingua in orẽ clausum, gustabit simul, & semel dulce, & amarum, & hoc non est, quia eidem parti insit dulce, & amarum sed quia partes illæ sunt minimæ, quæ gustant vel dulce, vel amarum, idcirco sensus confunditur, iudicantque homines eodem sensu simul, & semel vtrumque sentire, sed hoc quàm verum sit in doctrina Aristot. non est tempus examinandi opportunũ; consulendus est Themist. 2. de anima super te.

14. vbi putat sensum communem esse diuisibilem & alij disputantes, an contraria eidem simul inesse possint.

Ad quartum præterdicta, dici potest in statu morbi materialis salubris, materiam esse quidem magis digestam, non autem magis putridam, quàm ante, & accidentia in statu maiora fieri, non ex maiori putredine materie, sed ex eius agitatione, motu, & pugna naturæ contra materiam, quæ facit vltimum conatum contra naturam, amplius ex directione materiæ ad loca expulsionis, & idcirco Hipoc. primo aph. te. 8. iubet in statu esse cibum subtrahendum, quod ex secundo aph. te. 47. affertur dum pus conficitur dolores & febres fieri maiores; quàm cõfecto iam pure, id est intelligendum, si pus tendit ad benignum, vt euadat album, lene, æquale, non autem ad malignum, sed de his alias.

Ad quintum negandum est species contrarior esse contrarias ex mente Auer. & Arist. multis in locis, & idem est dicendum de speciebus intelligibilibus. Atque ista expositio contraria posse esse in eodem subiecto, non tamen secundum idem, vel vna eademque ratione, sed secundum diuersa, aut diuersa ratione considerata est communis tam Philosophis quàm Theologis, vt est videre in 3. parte quæst. 86. art. 8. ad primum, 3. sent. dist. 15. quæst. prima & vt habetur locis supra citatis, fatentur.

Alij contraria posse esse circa idem, sed tunc solum quando subiectum habet se ad ea æqualiter, vt scribitur in secunda secundæ quæst. 24. art. 10. ad primum & de ver. quæst. 71. art. 2. ad primum.

Alij volunt posse esse simul dico contraria, vnum per se, alterum per accidens, non autem ambo per se, aut ambo per accidens, vt quando contingit aliquod motum esse in aliquo per se, & contrarium est in eodem per accidens legatur sanctus Thomas quæst. 26. de ver. ar. 10. ad 10.

Plerique admittunt contraria posse esse simul tempore refra-

refracta in quolibet mixto, & in qualibet parte mixti vti dicitur de formis elemẽtorum ex Auerois opinione, quod ex eo probatur, quoniam res naturales cum necessario agant, & sine arbitrio, & cognitione semper agunt stantibus debitis conditionibus, agere enim in naturalibus est educere qualitatem de potentia subiecti, & pati est talem qualitatem recipere, non enim agens naturale aliquid sui dat subiecto patienti, alioquin forma naturalis migraret de subiecto in subiectum, & iuxta hanc opinionem Auer. defendunt quidam reactionem fieri secundum eandem partem subiecti, simul tempore, penes eandem qualitatem, & non esse absurdum idem agere simul & pati respectu eiusdem in ipsa reactione & in via vti dicunt.

In summo autem contraria simul esse non possunt, cum ad inuicem corrumpantur, & mutuo se se ex eodem subiecto expellant.

Sed quomodocumque sit hæc res de contrariis, rationibus allatis sufficienter ex dictis, quid sit respondendum, apparet.

Tertio vnumquodque indiuiduum habet propriam complexionem, in qua aliud ei non potest associari vt scribit Auic. prima primi cap. de complex. ætatum. Si igitur complexio posset permutari duo indiuidua etiam oppositæ complexionis & contrariæ possent habere eandem omnino similem complexionem, quod est absurdum.

Quod si alicui dictum. Auic. videatur falsum nulli indiuiduo aliud sibi simile associari posse, quia refert Augustinus in lib. de Ciuit. Dei, vt etiam conc. differentia 23. fuisse duos gemellos, qui ita se se habebant vt vno ridente, alter rideret, vno flente, alter fleret, & vno ægrotante alter egrotaret, simile quid narrat Alber. Magnus lib. 9. de animalibus, & Quintilian. declamatione septima pro duobus gemellis infirmantibus, & ne à veteribus petantur exempla, nostris etiam temporibus videre est duos

gemellos in omni animi & corporis affectione simillimos, ergo vnum indiuiduum alteri in complexione non associari est falsum. Is vellem intelligat omnimodam similitudinem esse impossibilem, quia sicuti alia est forma vnius à forma alterius, ita in aliquo diuersificabuntur, causam huius similitudinis astrologi tribunt stellis, Hippocrates vero, & melius id accidere voluit eo, quod ab eodem patre, eodem nutrimento, & eodem vitæ regimine nati, & educati fuerunt.

Quarto Complexio indiuidualis & natura est ignota secundum Auer. 6. col. capit. primo ex quo fit vt faciat facultatem medicam coniecturalem, ex eo potissimum, quod media, quæ assumit, non deducunt semper ad finem intentum, qui vt in pluribus accidit, & spectari debet in pluribus egritudinibus, pluribus indiuiduis, & pluribus temporibus, vt contingit in agricultura & arte nauigiorum, ex eodem 7. collig. cap. 31. & deduci potest ex Aristot. 2. phys. te. 7. & primo de anima te. 17. cumque vnumquodque indiuiduum habeat terminum præfixum vitæ, vt supra, qui terminus est varius secundum varias complexiones ex Auicenna prima primi cap. de complex. ætatum, vsque ad hunc terminum poterit se ipsum præseruare, conseruando debitam proportionem humidi ad caliduin, & non vltra, poterit etiam vice versa, si voluerit, se ipsum destruere, non tamen poterit prolongare terminum, vt vita protrahatur, & implicat contradictionem, tolli proportionem qualitatum indiuidualium, & indiuiduum saluari, neque dantur termini elongati vt prius dictum fuit ex Auic.

Decimaoctaua Ratio & vltima vita hominis vel est abbreuiata ab eo, quod antiquitus fuerat, vel non, vtrumque confessus quis fuerit, in laqueum incidit, à quo se extricare non valet, nam si primum asseruerit, confiteri illi opus est vitam non posse prorogari, quoniam alimenta sunt

ta sunt diminuta à pristino statu, plantæ defecerunt à sua priori virtute, medicamenta ab eis desumpta virtutem non habent, quam olim habebant, vnde non poterunt restaurare humidum radicale, nec fouere calorem naturalem, nec morbos, & illorum causas expellere, quare medicina nullius erit vtilitatis, neque instrumenta illa tria, dicta scilicet, chirurgia, & pharmacia erunt alicuius emolumenti, si secundum affirmauerit, incidit in eandem foueam, quod vita à medico non possit prorogari, quia de se longissima est, & ad priorem illum terminum antiquorum nullus est, qui nostri temporis beneficio alicuius medicamenti hactenus peruenerit. Hæc sunt præcipua argumenta, quantum potui colligere, quæ adstruunt vitæ prorogationem ope medicorum fieri non posse, ad aliam partem transeamus.

SECTIO SECVNDA DISPVTATIONIS.

IN contrariam partem vitam scilicet posse produci vi, & ope medicinarum multæ trahunt non spernendæ rationes.

Prima Ratio innititur firmissimo fundamento, & manifestissimo, duplex scilicet solummodo genus esse mortis, naturalis, & violentæ, nunc sic proceditur mors non solum accidentalis, sed etiam naturalis potest prohiberi, ergo & prorogari vita, probatur antecedens quia sunt duo termini secundum Auic. alter naturalis, alter abbreuiatus terminus vitæ dicitur naturalis respectu mortis naturalis, abbreuiatus respectu mortis accidentalis, sed ambo isti termini possunt breuiari, vel protrahi, ergo & vita, pbatur minor prop. Posse videlicet hos terminos extendi, quoniã per medi-

medicinam prohiberi potest putrefactio, quod negari nec potest, nec debet, illa enim dat instrumenta ad tuendum corpus à vi importuna caloris externi, & ab ingenti aeris putredine ac pestilentia, vt fecisse ferunt Hippocratem in illa maxima pestilentia, & refert Galen. lib. de Theriaca ad Pisonem ca. 14. Eadem medicina potens est prohibere velocem resolutionem humiditatis innatæ, efficerequè vt in suo robore vsque adeo cõsistat, vt homo vsque ad debitum tempus secundum primam suam complexionem permanere possit, ita scribit Auic. prima tertij, ca. 2. beneficio medicinæ prohiberi potuisse causas siccitatis, ne mors cuiusdam accelerata fuisset. Negabit quis hanc vitæ diuturnitatem in homine, qui naturaliter dissoluitur, & concedet in eo, qui violenter perit, in quo vis illa contineri aliqua ratione potest: Male profecto inficiabitur primum non inficiãdo secundũ, nam qua ratione prohibetur mors violẽta, eadem ratione prohibebitur naturalis, at quæ maior est ratio, vt vna prohiberi possit, & non alia? Nullam profecto afferent, quare mors tam violenta, quàm naturalis prohiberi poterit auxilio medicinæ, & consequenter vita produci.

Secunda Ratio Si medicina mortem naturalem retardare non valeret, ergo corpus optime constitutum, & salubre semper, de quo Galen. in arte medicinali, numquam indigeret arte procuratiua sanitatis, quod, habita tot tantarumquè contrariarum rerum ratione corpus dissoluentium, est absurdissimum, præterquam quòd nullum corpus ita firmum fingi potest, vt aliquando ab externis nocumentis non afficiatur, aut à rebus internis male etiam affectis non molestetur. Vnde illud Galeni primo de san. tuend. cap. 4. in principio, corpus nostrum non est adeo impassibile, vt omnis corruptionis sit expers, vt Adamas.

Tertia Ratio Galen. lib. de tabe cap. 5. in principio Senectu-

nectutis ait tabem impossibile fore denique prohibere, sed auxiliari & longius extendere est possibile, vt etiam detinere eius festinum euentum, quod non solum dicit, sed etiam probat, quia si possibile est substantiam corporis, cordis, & hepatis fieri humidiorem, possibile etiam erit senectutem diutius extendi, at illud fieri potest ergo & istud; nam bene ab omnibus defenditur ex Aristot. lib. de longit. & breuit. vitæ hominis vitam sequi cordis complexionalem proportionem, & iuxta illam protendi aut corripi, & Gal. ibid. vacuitas ait actionis cordis est vitæ finis, & quousque cor sua actione mouetur, mori animal non potest, quod autem partes illæ possint fieri humidiores, docet etiam Galen. sermone Homerico per cibum, ait, potum, balneum, lectum, cor, & hepar, ac vniuersaliter totum corpus humectari, cum ergo à Galen. doceatur senectutem tali humectatione extendi, sequitur saltem secundum Galen. mortem naturalem posse retardari, immo refert idem de se 10. met. cap. 10. in fine sanasse siccam ventriculi intemperiem, hinc infero ergo qua ratione ventriculus exiccatus humectari rursus potest, poterunt etiam & illæ aliæ partes humidiores fieri. Quod si necessarium est subsequenti tempore fieri sicciora non solum viscera, sed etiam arterias, & venas antequam inducatur talis humiditas, vnde interim prohiberi senectutem videre impossibile, nihil prorsus dicitur, quia vt pedetentim inducitur humiditas, ita pedetentim etiam senectus, aut dissolutio prohibetur, & tanti temporis diuturnitas non arguit impossibilitatem, sed solummodo difficultatem.

Dubitabit hic primo aliquis non mediocriter, sibi Galenum contradicere, nam in libro artis paruæ cap. 59. dicit solidas, & primas partes non posse fieri humidiores per nutrimentum, hic autem libro de tabe cap. 5. contrarium affirmat. Iste quoniam non omnes Galeni libros e-

uoluit

uoluit in eam incidit dubitationem. Nos vero negamus prorsus sibi Galenum non constare, nam cum dicit solidas & primas partes non posse humectari, intelligit cum valde excesserint modum naturæ in siccitate, & est marcor in facto esse vt patet in valde consumptis, & propterea 10. met. cap. 10. loquens de marasmo se indicasse ait in 7. meth. lib. de marasmo & ante hos in lib. de sanit. tuenda fieri non posse, vt solidarum partium siccitas consumate sanetur, scilicet cum valde excesserit, & idcirco ibidem Galenus ait de marasmo loquens, quem marasmus plane occupauerit, hunc sanare non tentaueris, & lib. de tabe in principio marcorem esse quidem corporis viuentis præ siccitate corruptelam, sed est inquit duplex, in fieri, & in facto esse. Vnde est animaduertendum in medicina esse terminum & modū dicendi, vt in alijs facultatibus, vbi quædā dicuntur, quæ indigent semper aliqua declaratione, & limitatione, & propterea cum dicitur partes exiccatas & extenuatas non posse rehumectari, intelligendum est vltra debitum exiccatas, vt contigit in marasmo, de quo paulo post, & ventriculo, corde, & hepate nimium arefactis, at aliquæ partes non omnino siccatæ ac perustæ curari, ac sanari possunt, nam experientia constat extenuatos quosdam, ac exiccatos persæpe pinguiores, ac humidiores, euasisse, ac ad integram sanitatem aliquando restitutos, & idcirco de his partibus omnino exiccatis, ac perustis possumus dicere, quod de potentia suo actu omnino priuata, dicitur, à priuatione ad habitum non datur regressus, & sicut Arist. dicit 8. meth. te. 14. non esse reciprocationem inter vinum, & acetum, ita inter has partes taliter siccas ac humidas.

Secundo dici potest, & firmius solidas, & primas partes non omni ex parte posse humectari, vt erant ab ortu, atque ita, vt senex fiat iuuenis ex Galen. 10. meth. cap. 10. sed aliqua ratione nihil prohibet, & sic Gal. in teg. cap. 59. ait sa-

ait satis est, si quis primas, ac solidas partes celerius exiccari prohibeat, sic etiam potest exponi illud Galen. 10. meth. cap. 10. dicentis fieri non posse, vt solidarum partium siccitas consumatè sanetur scilicet, vt senex fiat iuuenis, nam etiam in hac re datur ratio, & modus.

Sed contra Galen. in tegn. cap. 59. non tantum dicit solidas, & primas partes non posse humectari, sed ait etiam, at satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat ergo verè, & propriè non possunt humectari.

Respondeo idcirco Galen. esse ita loquutum, quia cum partes primæ, & solidæ sint valde exiccatæ, tantum abest vt possint melius humectari, vt satis sit prohibere, ne celerius exiccentur.

Sed quia forte nec hac responsione euacuatur omnino argumentum. Dicitur tertio Galenum asserere primas, & solidas partes &c. vt ostendat non semper esse impossibile eas humectari, sed tantum aliquando, semper tamen esse maxime difficile, vt verba illa non impossibilitatem arguant, sed difficultatem.

Responderi potest quarto non de corde, & aliis supra allatis partibus dixisse illud, sed de ossibus quæ vocat solidas partes, quoniam sunt durissima, & primas, quia sunt fundamenta, & sustentant totum corpus, & hæc scilicet ossa negat posse humectari, vel

Quinto respondeo secundum quid à Galeno vnum affirmatum, & aliud aliquando negatum, quoniam non ita commodè & euidenter, vt aliæ partes nostri corporis, vel etiam simpliciter, quia re vera humectari non valent, tum primo propter eorum duriciem, & densitatem, tum secundo etiam quia in profundum locum corporis sunt immersa, tertio quia venis, ac arteriis non sunt saltem omnia perforata, quarto quoniam non omnia habent medullam, qua humectentur vt Galen. asserit de ossibus leonis vndecimo de vsu part. capite decimooctauo. Præte-

rea etiam quinto quia si caro patientis marasmum non humectatur teste Galeno 10. meth.cap. 10. multo minus ossa poterunt humectari, quæ sunt non solum naturæ durioris quàm caro illa patientis marasmum, sed etiam durissima omnium, quæ sunt in nostro corpore.

Ex qua re mirabile artificium, & opus naturæ conspicitur, quo pacto ossa durissima, & densissima, vt cornua animalium, & similia nutriantur, & augeantur, cum nutritio, & augmentatio debeant fieri vt secundum omnes dimensiones, & omnes differentias positionum, ita etiam secundum omnes partes.

Cæterum dicet aliquis, Galenum nomine solidarum partium in lib.de def.med.in principio intelligere neruos, musculos, venas arterias, & viscera, quæ oculorum effugiunt obtutum, & nomine humidarum partium intelligere humores, & ex crementa, spiritus, calorem naturalem, qui est in corde, ergo male exponitur de ossibus.

Respondendum est primo hunc librum esse spurium, humores enim non sunt partes corporis, vt ipse ait Arist. præceptorem secutus:

Dicimus secundo Galenum in teg.cap. 59. non tantum dicere solidas, sed etiam primas, quas nos dicimus esse ossa, si solidas tantum dixisset forte pro neruis, musculis, & aliis capi posset, sed etiam addidit primas, primæ autem partes non sunt nerui, sed ossa, addimus

Tertio Galenum in teg. cap. 59. non intelligere de omnibus solidis, sed tantum de aliquibus videlicet de ossibus, quæ principaliter debent dici solidæ partes propter rationes superius assignatas.

Sed maior hinc surgit secunda dubitatio. Si ossa non possunt humectari quo modo poterit produci vita, nam ossa sustentant totum corpus, ergo sustentato illo vita perseuerat, non autem potest diu sustentari corpus, si non ossa humectentur, ergo nec vita poterit diu durare.

Respon-

Respondetur cum distinctione, quæ mors est argumentorum, aliud est vitam producere, aliud vitam corpore sustentari; corpus sustentatur quidem ossibus, non vt homo viuat, & diu viuat, sed vt recte incedat, & rectum corpus ad humanas necessitates perficiendas retineatur. Nam vita teste (omni schola philosophorum, & medicorum) consistit in humido & calido, & cum potiore humido, & calore meliori diutius perseuerat, & ex vi caloris naturalis, vel potentiæ distribuitur nutrimentum singulis partibus, vt natura illarum exposcit, & cum ossa sint partes corporis, suum nutrimentum quoque accipiunt per quosdam poros intra se, quo fiunt & augentur medullæ etiam ossibus inclusæ, cessante vero hac distributione arefiunt ossa, & medullæ, & his arefactis homo deficit, quare prius deficit calor naturalis, & humidum radicale, in quo proprie vita consistit, mors contingit, non quia homo non possit ossibus, tanquam columnis, sustentari, sed quia cessant vitæ principia.

Dubitabis tertio si cor, & hepar & aliæ partes haberent melius humidum radicale pro vita, non autē ossa, corpus illud posset viuere plus, & minus, plus quidem, propter partes illas humectatas, minus vero propter ossa & partes exiccatas, nam melius humectatæ partes vitam longiorem retinent in corpore, minus vero humectatæ breuiorem, & idcirco illæ etiam erunt primæ corporis partes, & principales dicendæ, non autem ossa.

Solutio patet ex prius dictis, quoniam ossa primæ & principales partes dicuntur, non ad vitam prolongandam sed ad corpus, quod graue est pedibus sustinendum, & vita diuturnior sequitur ad cordis, & hepatis meliorem humectationem, & sustentatio corporis est conditio sine qua non, vita consistere diu non potest.

Verum esto de ossibus ita sit, vt dicitur, ponatur in aliquo ventriculus siccus, qui non sit capax humiditatis, &

in eodem cor, & hepar sint, quæ melius possint humectari, tunc tale corpus posset saltem viuere plus, & minus, vt prius de ossibus dicebamus.

Sed iste casus fictitius est, & chimeræ, aut Hippocentauro poetarum similis, non enim esse potest in rerum natura, nec dari in corpore ventriculus incapax humoris, & simul cor, & hepar melius posse humectari pro vita diuturniori, nam ventriculus est principium digestionis, & cocus totius corporis, cuius prima digestio lesa non rectificatur à secunda, quæ in hepate celebratur, & sic deinceps, immo non humectato ventriculo, illa nec possunt humectari, & vice versa humectatis illis, necessario prius debet humectari ventriculus, quare inferimus huiusmodi sicco ventriculo laborantes diuturniorem vitam non posse peragere.

Dubitabis quarto Galenus decimo meth. capit. decimo ait marasmum verum non posse absolutè, & perfectè curari, sed facta videlicet præfatione, seu protestatione, quia sic in morituris non infamantur artis remedia, & melius est anceps remedium experiri, quàm nullum, cum vt in natura, sic etiam in arte, quæ naturam imitatur, monstra sæpe appareant, si igitur marasmus curari non valet, ergo aliqua species vitæ, vt est illa marasmo laborantis protrahi nequaquam valebit.

Respondeo marasmum quoquomodo curari posse, neque vnquam Galen. aut alius medicorum negauit omnino. Curari potest imprimis cura blanditiua, nam illi potest adhiberi remedium, ne æger à medicina derelictus in quandam cadat desperationem, aut certe, vt minori cum molestia, quoad fieri potest, morbum ferat. Secundo remouendo à marasmo vero calorem, & relinquendo siccitatem, vnde fiat hectica senectutis, scilicet morbus ex frigida & sicca intemperie, quæ est altera marasmi species ex Gal. 10. met. cap. 10. sic enim Gal. iuuenem quendam

priori

priori marasmo laborantem sanauit, & ipsum reficiens; ac senilem imbecillitatem pro senum ratione tractans, nō solum in menses, sed etiam in annos viuum seruauit.]

Quare cum duplex sit via ad marasmum curandum, nullus ibit inficias illum curari aliquo modo posse. Merito ergo Gal. lib. primo de sanit. tuenda ait multos ignoratione huius artis citius mori, quàm ferat naturæ ratio, & lib. 6. de sanit. tuenda in principio qui sanatiuam dietam ignorant citius moriuntur, quàm ratio naturæ expostulat, qui autem eam sciunt diutius viuent.

Hinc constanter est asserendum, & firmiter adiscendum medicinam plurimū posse, & dietam esse præstantissimum auxilium omnium instrumentorum medicæ facultatis, cum sine exercitio, & vsu alicuius sex illarum rerum non naturalium impossibile sit hominem, ne momento quidem temporis posse permanere.

Quarta Ratio Hali non postremus inter Astrologos, nec inter medicos contemnendus super Galen. in tertio libro artis medicæ com. 21. possibile inquit est, vt sint medicinæ prohibentes senectutis velocitatem, prohibendo à membris frigiditatem, & siccitatem; ergo si quis iis auxiliis vtatur, prolongauit vitam; hinc legere est apud probatissimos historicos vixisse plerosque centum & pluribus annis. Inter alia vero, quæ prohibent contraria vitæ, vt est frigiditas, & siccitas, est tryphera, quæ & bonam efficit digestionem, & colorem floridum præstat, & vniuersaliter vitam protendit diu, si cum reliquo bono regimine capiatur. Addit conciliator dif. 113. forte diutius aliquos vixisse, quod inuenerint medicinas tryphera meliores ad vitam protrahendam.

Quinta Ratio in libro quarto regum capit. 20. dictum fuit Ezechiæ iussu Domini, dispone domui tuæ, cras morieris, & tamen mediante quadam medicina, quam ei imposuit Isaias, & quæ ex cuiusdam Rabini sententia valebat

bat ad maturandum morbum, non est mortuus, nisi post annos quindecim. Quòd si quis dixerit, ergo Deus sic dicendo aut ita annunciari illi præcipiendo, vel decepit homines, vel ipse deceptus fuit, quum non euenit, quod prædixit, at quodcumque dixeris, dictum erit impiissimum.

Respondent aliqui negando consequent. quia Deus nõ dixit hoc euenturum absolute, sed secundum cursum causarum naturalium, & nisi causæ naturales fuissent impeditæ, id euenisset, causæ vero naturales istæ fuerunt impeditæ sicut dicit expositor quidam Rabinorum ex ui & ope facultatis medicæ.

Sexta Ratio multi sapientes ope medicinæ quales fuere Pythagoras, Democritus, Plato, Cato Censorius, & alij multi vitam ab omni morbo liberam absque vlla lesione vigoris ingenij, soliditatis memoriæ, acuminis mentis, & sensuum externorum in longum tempus prolongarunt, ergo vita prolongari potest, secus isti non prolongassent, & Democritus, vt alios taceam, peruixit vsque ad CVIIII. annum, qui cum ob ætatis defectum proxime videretur moriturus, mærentem sororem, quod eo mortuo, instante Cereris celebritate, vota Deæ ipsa persoluere nequiret, bono animo esse iussit, & sola mellis euaporatione, vel vt scribit Laertius, solo odore pomi, vel, vt aliis placet, & est credibilius, ex odore, & calore panum frequenter ex furno in cubiculum delatorum, recreatus, tres illius celebritatis dies viuens pertransiuit. Celius Aurelianus lib. 2. capit. 37. acutorum morborum.

Septima Ratio mors accidentalis, & aduentitia, quæ accidit ex aliquorum humorum, vel abundantia, vel defectu vi medica potest arceri, vt quidam asserunt, ergo & prolongari. Vnde Virgilius nec fata vetabant stare, decemque alios Priamum superesse per annos, vbi de morte acci-

accidentali, non naturali, sermo est.

Hinc conciliari possunt, & qui dixere necessitatem fati posse tardari, & protrahi, & qui fata omnino negarunt, & tanquam deliramenta veterum, vt re vera sunt, esse tenuerunt.

Octaua Ratio medicina potest obtundere vires causarum resoluentiũ corpora, confortare humidum radicale, suauiter educere, humidũ superfluum, bonum & digestum separare ab indigesto, & omnia excrementa operantia ad mortẽ euacuare variis generibus medicamẽtorũ, vt triphera, theriaca, rabarbaro, & aceto squillitico, de quo Galen. libro terzo de medic. fac. paral. ita refert. Salubre, ac optimum est, quod à Pythagora de scilla scriptum est, id Imperatores omnes in vsu habuere, referebatur autem ab eo qui nobis illud tradidit, quòd qui illud assumeret longioris vitæ redderetur quodque eius extrema sint integra, in finem vsque perduratura, & ille quidem senex Samius, neque enim ignoras, quanto illo tempore vixerit, in suo de hac re libro narrauit, quòd eos, qui ad eius genus attinebant, huius medicamenti participes fecerat, & quod cum hoc medicamento vti cœpit, quinquagesimum agebat annum, & ad centesimumdecimum septimum peruenit integer semper, & absque vllo morbo. Hæc referebat author istius medicamenti, qui vir forsitan philosophus erat, & mentiri nescius. Nos autem de huiusce viri fide facto periculo, affirmamus, facultatem huius medicamenti firmam esse & quæ minime ideſt raro fallat, hæc Galenus cuius confectio ibidem affertur.

Nona Ratio diuina prouidentia potest vnum hominem diuturnius, quàm alium custodire, propter magnam ipsius, aut aliquorum vtilitatem, aut etiam aliqua de causa suæ diuinæ prouidentiæ tantum perspecta, nec solum potest id facere, sed se facturum quoque multis de causis promitit, ita sapientia clamitat prouerb. cap. 9. per me

multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ, & cap. 10. timor domini apponet dies, nec solum id se facturum pollicetur, verum etiam de facto facit, ita prophe-ta vaticinatus est Psal. 20. tribuisti longitudinem dierum, & Psal. 90. longitudine dierum adimplebo eum. Neque hoc solum in sacris litteris inuenitur, sed etiam ex illis in præmium vita diuturna hominibus à Deo proponitur, filii ad honorandos parentes alliciuntur, Exod. 20. & Deuteronom. cap. 5. quo titulo? vt sint longæui super terram, ad legem obseruandam populus Israeliticus Exod. 20. & Deuteronom. cap. 6. inuitatur, quo nomine? quia sic prolongabuntur Dies tui, & Deuteron. cap. 11. vt multiplicentur Dies tui. Hortatur Deus illum populum, vt habeant verum pondus, veramquè mensuram, quo præmio? multo viues tempore Deuteron. 25. quod si viuendi tempus quod à Deo promititur talia facientibus esset illud idem, quo naturaliter homines viuere deberẽt, huiusmodi promissio & vana foret, & fallax, nihilquè præmij adderetur ex eo, quod talia perfeciſſent, qualia præcipiuntur, hinc ergo necessario inferendum est, vitam à Deo aliquando produci, nec solum hæc potestas in Deo est, sed etiam superioribus orbibus communicata, sola enim cœli plaga, vt constat experientia, vitæ producendæ plurimum confert, necnon etiã medicinæ, cuius beneficio semi mortui quandoque reuiuiscere quodammodo videntur, vt patet in syncope, apoplexia, epilepsia, & huiusmodi.

Decima Ratio si medicina non prolongaret vitam, & retardaret mortem, esset vana, quod est falsum, quia secundum omnes medicos, & philosophos medicina, vt etiam aliæ facultates, necessariorum, vel contingentium vt plurimum, debent consequi suum finem, & consequuntur, vt allatum est superius.

Vndecima Ratio Vita stat in quadam proportione calidi, & humidi ad inuicem, quod est principium vitæ, sed talis

talis proportio potest diutius conseruari ex doctrina medicorum generando humidum sufficiens substentatiuum calidi innati,& humidum superfluum educendo, aut alterando, aut contemperando ergo.

Duodecima Ratio omne illud, cuius principia possunt perfectiora conseruari, ac vigoriosiora beneficio quodam reddi illud, idem diutius poterit perdurare, sed talia sunt principia corpus humanum constituentia materialia, & formalia, ergo maior est omnibus in confesso, probatur minor prius de calore naturali, qui potest fieri vigorosior, & defendi à contrario, ac temperari per artem, ne humidum consumando siccitatem, & frigiditatem inducat, quæ sunt causa mortis, calores etiam externi exiccantes humidum possunt corrigi, vnde fiet debita proportio caloris ad humidum, & humidi ad calorem, & præsertim in corde. Etiam probatur de Humido radicali, quia illud potest melius restaurari, quàm fuerit deperditum, vnde genitus ex malo sanguine, & quasi leproso potest per nutrimentum liberari, ad hunc locum possunt afferri, quæ dicit Gal.in lib. qui dicitur informatio empirica cap. 12. elephanticum fuisse liberatum potu vini, in quo mortua fuit vipera, vt infra clarius tangemus, hecticus in prima specie, vel secunda saltem in principio eius morbi potest liberari, licet in progressu secundum aliquos non possit forte hecticus sanari, ideo autem iste sanatur quia fuit substantifice humectatus,præterea ex eodem Gal.libro de tabe cap. 5. in principio per cibum, potum, balneum, lectum, somnum, cor, & hepar ac vniuersaliter totum corpus humectari potest, ergo & humidum radicale. Tandem si humidum radicale semper in peius tenderet, vt dicunt aduersarij tuentes priorem partem negantem, non esset æqualis calor naturalis in iuuene & puero, quod est contra Gal.secundo de temperamentis cap. primo & primo aph. te. 14. & Auic. prima primi cap. de compl. ætat.

nam eadem ratio videtur esse caloris naturalis, & humidi radicalis, cum ille sit vt forma, hoc autem vt materia, & per consequens relatiua.

Decimatertia Ratio naturalis complexio potest in melius permutari, vt primo patet exẽplo hecticorum extenuatorum, & leprosorum, sed complexio non potest mutari, quin mutetur calor naturalis, & humidum radicale, quæ complexionem sequuntur, & sunt vitæ fundamenta, ergo mutata complexione in melius ista duo vitæ principia possunt fieri meliora, quod sæpe negant aduersarij, & non dum forte ab eis est sufficienter probatum, ergo his factis melioribus, & mutata complexione in meliorem, vita producetur iuxta hanc, quam corpus nunc habet complexionem, & non secundum illam, quam habebat prius, quæ forte breuioris fuerat vitæ, ergo nõ potest negari vitã posse prorogari. Secundo deinde corpus nostrum in singulas ætates variatur respectu quatuor primarum qualitatum, & etiam aliarum, Ideo in senectute tandem fit frigidum, & siccum, durum, si ergo corpus nostrum variatur, cur non camplexio, & hac variata, cur non fiet vita longior. Tertio à cõtrariis naturalis complexio potest fieri deterior siue ingruentibus morbis, siue alio sanitatis incõmodo, cum sanitas consistat in complexione, quæ est bona dispositio resultans ex primis qualitatibus proportionatis, quæ vt multis, & variis modis potest variari, aut destrui, ita etiam sanitas variabitur, vt destruetur, & sicuti illa multifariã defendi, cõseruari, aut augeri potest, ita quoque sanitas cõseruabitur, si ergo cõplexio potest conuerti in malam, eadem quoque melior fieri poterit auxiliis medicinæ ægritudines prohibẽtibus, aut incommoda salutis euitantibus. Audebit aliquis hoc inficiari, illud illi opponam euidentissimum argumentum, Achillemquè fortissimum eandem esse rationem contrariorum, & sicuti idem est spacium vnius ad duo, & duorum ad vnum, accliuis ad decliue, & è contra

tra ar. 3. phys. te. 18. vt te. 21. eadem est via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, ita à meliori ad id, quod est deterius, & ab hoc ad id, quod est melius.

Hoc ipsum quarto docet experientia quia letus mutatur aliquando in tristem, pinguis in macilentum, & gracilem, sanguineus in bilioſum, hic in melancholicum, hic in phlegmaticum, hic in sanguineum, & è contra, & ratio istorum est simbolizatio, quoniam inter habentia simbolum facilior est transitus, secundo de gen. & cor. te. 25. vt dicitur à simili facilior fit lapsus, hinc necessario sequitur melancholicum permutatum in sanguineum diutius viuere, si vera est doctrina Philosophorum, ac medicorum vitam in calido, & humido consistere, quæ complexionem sanguineam constituunt. Quinto complexio est qualitas quædam secunda orta ex actione quatuor primarum qualitatum, ergo ex varia permixtione harum quatuor qualitatum variabitur complexio, ergo ex optima permixtione optima complexio generabitur, ergo potest complexio mutari vt initio rationis poscebatur. Sexto ex actione earum sex rerū non naturalium, quas enumerunt medici, sed præsertim Gal. lib. de tabe cap. 5. in principio, quæ sunt cibus, potus, balneum, somnus, &c. potest corporis dispositio permutari, & de facto mutatur interdum, ergo. Septimo argumentor à minori ad maius, corpus ex calore naturali permutatur ad calorem præter naturam, & è contra, ergo multo magis poterit permutari ex vno calore naturali, in alium calorem naturalem, ergo etiam consequenter ex vna complexione naturali cum qua stat sanitas, ad aliam quoque complexionem naturalem variam à priori, cum qua etiam consistere poterit sanitas, nam maior est variatio ab vna specie ad aliam, & à re naturali ad rem præter naturam, quàm sit ab vna re naturali ad aliam rem naturalē possibilē eiusdem ordinis, quæ per solam alterationem posset acquiri octauo Galen.

auctoritate multis in locis videlicet in 8. meth. capit. de cura febris ephimeræ etiam in tegni ca. 85. Vbi docet corpus parum lapsum reduci ad temperatum, & 6. de sanit. tuend. cap. 10. deinde auctoritate Hali secundo quadripartiti mores, ait, hominum, complexiones, & omnes aliæ virtutes variantur secundum sex illas res non naturales, & huiusce permutationis signum est manifestissimum, quando conuertitur macies in pinguedinem, pinguedo in macilentiam, color vnus in alium, mores in diuersos à prioribus animi affectibus, quæ variatio cum oriatur ex naturali complexione, illis mutatis illa mutabitur, cum sit velut radix, & vt principium primum, saltem dispositionis, si non efficiens, eius mutationis; experimur quoque corpora salubria fieri insalubria, quod si operationes indicant formam à qua proficiscuntur ex Arist. 2. de anima tex. 33. & etiam vsum partis ex Galeno 5. de vsu par. cap. 4. vt transmutatio materiam, cum per transmutationem sciatur materia 8. metaphys. cap. 12. & 4. phys. te. 38. quia esse est ptopter operari, & quale est esse, tale etiam est operari, & è contra, non erit dubium varias operationes à diuersis principiis oriri, quod si etiam secundum medicos qualitates primæ, & secundæ indicant humores, vnde Hippocr. in primo de hum. in principio, & Galenus primo aph. te. secundo calor efflorescit humoribus, qui sunt in corpore, nisi intro recesserint, humores etiam indicant operationes naturales, à quibus sunt procreati, & ipse operationes indicant facultates tanquam operationum omnium principium, etiam spiritus, cum omnis operatio spiritu perficiatur, hinc quoque discernentur variæ complexiones, quæ sunt & instrumenta facultatum, & dispositiones earum, Hic interim est aduertendum fundamenta medicorum cognoscendi naturas, tum corporum, tum humorum, tum etiam morborum, germana ac præcipua tantum esse tria, videlicet operationem, excremen-

mentum, & accidens, præsertim tamen qualitatem, nam regula à iuuantibus, & nocentibus, ac similibus non semper est vera propter effectus, qui non per se, verum per accidens ab his possunt oriri, videmus quoque in eodem homine omnia dicta variari propter ætates, regimen, sex rerũ non naturaliũ educationes, morbos, vt probat Gal. in lib. qui dicitur informatio empirica cap. 12. vbi refert laborãtem elephantiasi casu fuisse sanatum ex potu vini, in quo mortua erat vipera, sanitate recuperata, eius cutem prius duram, testaceam, ac similem animantibus, quæ crusta obtecta sunt, totam prorsus excidisse eiusdemque carnem factam mollem, vt caro cancrorum, & locustarum vbi obductam textã quis extraxerit, vnde laus orta est medicamentorum ex viperis effectorum, qualis est theriaca, sal theriacum quod fit ex viperis viuis in fictili vase nouo cõbustis, & quod dictu est mirabilius, viperas cõmedendas præcepit Galen. quibusdam, scissis capitibus, & caudis, vt in pastillis theriacis fieri solet, cum ergo tãtam rerum extrinsecarum experiamur mutationem, illam à diuersis principiis nasci necessario fatendum est. Non desunt qui negant hæc proficisci à mutatione complexionis naturalis, vel ab humido radicali restaurato meliori, aut certe æquali ei, qui prius erat, sed causam assignant generationem melioris humidi nutrimentalis, volunt enim hi melancholicum per humidum nutrimentale posse melius restaurari, cumque fuerit ad temperamentum redactus, plus viuet, quam si non fuisset eò perductus, sed isti fundamento vero nequaquam innituntur.

Primo quia morbi dicti lepra hectica fundantur in complexione naturali, & in humido radicali, quæ eneruant, consumunt, permutant, vt ex dictis antecedentibus patuit.

Secundo quia sequeretur longiorem & meliorem vitam non supponere necessario maius, & melius humidum radicale, si potest ab humido nutrimentali generari.

Tertio

Tertio quia esto humidum nutrimentale conuertatur in substantiam viuentis, at ista conuersio partium solidarum, humorum, spirituum, & aliorum non fit, nisi ex naturali calore & humido radicali aptiori effecto, nam si fieret vel deterior, vel certe æqualiter bonus, tunc impossibile est ex hoc prorogari vitam, nihil enim agit supra vires suas & tantum posset illud deterius, aut æquè bonum, quantum faceret melius humidum radicale, quod est falsum.

Quarto si ita esset, vt isti volunt, posset quis ex abundantia humidi nutrimentalis tamdiu viuere, etiam si non haberet humidum radicale ita bene dispositum, ac alius, qui meliori humido radicali est donatus, sed cum fundamentum proprium vitæ sit humidum radicale non autem nutrimentale, quod seruit augmentationi corporis, & partium illius, ex primo de gener. & cor. te. 39. & secundo de anima te. 45. in quem errorem isti inciderint, nullus est, qui non videt. Quare verisimile est quos Aristot. 30. prob. prob. primo vocat ingenio claros in studiis philosophiæ, vel Republica administranda, vel carmine pangendo, aut artibus exercendis, ob melancholiam, alterius temperamenti prius fuisse, & mutasse naturam ob vehemens studium rebus illis peragendis.

Decimaquarta Ratio medicus astrorum legibus, ac periodis instructus potest præuidere alicuius infirmitatem futuram, nam vt quilibet effectus naturales dependent à causis naturalibus, & à cælestium orbium influxu, periodo, & motu, vnde Aristot. primo metheor. cap. secundo necesse est, inquit hunc mundum inferiorem esse contiguum supernis lationibus, vt omnis eius virtus inde gubernetur, sic quilibet morbi, & idcirco dies cretici vim à luna habere dicuntur, & Galen. tertio de diebus cret. cap. 7. inquit lunam continere septimanos morborum circuitus, vt etiam cap. 8. præesse quoque dicitur humiditatibus, vt patet in conchyliis menstruis mulierum, morbo comi-

comitiali ; fructus præterea adauget, incrassat, & animantia implet ex Gal. ibidem cap. 2. & in mare, ac in omnia humida admirabiles habet vires, & facultates vt Galenus libro de Dynam. paulo post principium licet secundum Gal. secundo de diebus decret. cap. 2. luna solis auxilio in omnibus indigeat, sol vero ad nullã rem etiam maximam vel alterius cuiusdam astri, vel ipsius lunæ operam desideret, vnde iuxta morbi imminentis conditionem adhibebit ille varia remedia apta sanitati tuẽdæ, & ægritudini expellendæ, ideo vel dabit frigida, vel humida, vel alterius generis, & celeriter euacuabit egrotantium corpus, vt liberi sint, & à morbis immunes, qui secus morerentur, ergo addit Concil. differen. 10. adaptata imagine, & eo cuius est imago, quantum coniici probabiliter potest, includi virtutem viuificam astrorum per radios quibus natalis influxus fortificatur. Hinc scriptum in centiloquio legimus animam sapientem adiuuare opus stellarum, vt seminator fortitudines naturales, & illud sapiens dominabitur astris, sed seminator producit vitam vegetabilium, ergo etiam medicina producet vitam hominum.

Decimaquinta Ratio cuius terminus non est præfixus omnino, sed contingens, is potest non solum tardari, sed etiam potest prorogari, sed talis est periodus vitæ, ergo maior ex eo colligitur, quia natura circa idem aliquando facit contraria, vnde corpora cælestia quoniam quasdam magnitudines non semper pertranseunt eodem tempore, verum aliquando velocius, & aliquando tardius mouentur, licet vltimo tandem is motus reddatur vniformis, motus octauæ sphæræ est inuentus velocior ab eo, qui fuit tempore Abrachis, & Ptolomei, vt ait Conc. in differentia 9. quare non solum arte, sed etiam sensu in his climatibus deprehensi sunt dies longiores, noctes minores in solstitio hyemali ; dies breuiores & noctes diuturniores in solstitio

stitio æstiuali, propter, depressionem poli octauæ sphæræ, & eleuationem Zodiaci, sol etiam in secuado spatium à primo puncto Arietis, ad primum punctum libræ plus temporis insumit, quàm pertranseundo spatium à primo minuto libræ vsquè ad primum minutum Arietis, vti dicitur in tertio almages. luna etiam, quando velox est, explet in die quindecim gradus zodiaci, & plus etiam fortassis, quando autem est tarda, duodecim, quando vero media quasi tredecim, sunt etiam aliæ diuersitates in cœlis perceptæ, vt refert Con. diff. 105. quas quia præsentis propositi non sunt, non putamus hic perscribendas; eiusdem rationis minor roboratur.

Primo contigit aliquando, si astrologis aliqua est fides adhibenda, 40. milia hominum, vel etiam plures in bello simul mori, non ad cuiusque horam mortis propriam, sed propter prauam ducis conditionem à suo natali prouenientem, ergo.

Secundo eadem est ratio totius, & partis, sed vita totius non est determinata, quoniam quandoque est longior, quanque est breuior secundum Conc. differentia. 9. ergo & vita particularium.

Tertio terminus vitæ non est præfixus ex parte principiorum materialium, quia Aristoteles in secundo de generatione te. 58. æquale est tempus generationis, & corruptionis, quæ est secundum naturam, sed contigit sæpe in minori corrumpi propter confusionem ad inuicem, nam inæquali existente materia, & non vbique eadem necesse est generationes inæquales esse, & has quidem citiores, illas autem tardiores. confirmatur ex Aristot. 4. de gener. animal. cap. 10. in fin. Vbi cum posuisset vniformitatem ex parte periodi cælestis, ait, vult igitur natura horum verius, scilicet, certius numerare generationes, & consumationes, non certitudinaliter autem, propter materiæ indeterminationem.

Quarto

Quarto Actus actiuorum fiunt in subiecto bene dispositio, & quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur secundo de anima tex. 24. ideo inter habentia simbolum est facilior transmutatio secundo de gener. te. 15. vnde etiam corpora calida & sicca sunt aptiora ad febres ex Galen. 8. met. cap. 2. Auicenna prima 4. cap. 2. & propterea senes raro febricitant acutè ob corporis eorum frigiditatem vt primo aph. te. 14. Immo tanto magis & facilius aliquid eueniet, quo materia fuerit magis dispositа, & tunc etiam agens vel maximè debile poterit producere effectum, quem non potuisset materia non bene præparata. Cum igitur medicus possit materiam præparare, ergo reddere, & dare etiam poterit formam perfectiorem, qualis est vitæ diuturnitas.

Quinto in climate indorum, vel sub æquinoctiali, homines diutius viuunt, & in climatẽ Aethiopiæ breuius, nã his accidit senium in XXX. annis vt Auic. scriptum reliquit, quamuis falso, ex sententia & experientia eorum, qui in Ethiopiã nunc nauigant, & in orbem nostrũ reuertuntur, conferat ergo se Ethiops in Indiam ex Auicenna diutius viuet, quoniam permutatio climatis vegetabiliorem, & longiorem vitam ministrat, & vice versa recipiat se Indus in Aethiopiam, breui vitam finiet, quam non finiret, si in sua viueret regione, huius autem mutationis causa est natura vniuersalis, quæ distrahit particularem, & propriam cuiuscunque, nisi forte virtus illius climatis, & affectio in aere impressa, fuerit alicui illorum contraria; tunc enim Indus assumpta qualitate, & conditionre alterius climatis, sibi conrarij, aut moreretur, aut infimaretur.

Sexto ea est natura contrariorum, vt si vnum reperiatur, inueniatur & reliquum ex Aristotele secundo de cœlo te. 18. sed vitam posse breuiari conceditur, ergo etiam prorogari concedendum erit, protrahere enim, & breuiare

uiare sibi inuicem aduersantur.

Contra inquies magnum, & paruum non sunt contraria ex Arist. 10. meth. te. 19. ergo nec magitudo, & paruitas, aut longitudo vitæ, & breuitas erunt contraria.

Facilis est responsio, cum enim Aristoteles negat magnum, & paruum esse contraria, sumit contraria, non propriè, sed pro duobus terminis maximè distantibus, qualia non sunt magnum, & paruum, quia datur maius maximo, & minus minimo, at in vita non datur ista proportio, nam ea aut longa est, aut breuis, & si dicatur esse vitam longiorem longissima, & breuiorem breuissima. Dicitur illam particulam longissimam & breuissimam, pro suis positiuis capi, ita vt vita sit longa, & breuis, & tunc isti duo termini erunt contrarij, vel esto pro superlatiuis accipi, tunc contraria erunt ipsa superlatiua, aut si alius gradus comparationis sit super ipsam superlationem, si ergo vita posset, vt ad primum argumentum reuertamur, prorogari respectu mortis accidentalis, non autē respectu mortis naturalis, nihil dicitur quia breuitas & longitudo sunt ita vere cōtraria, vt ignis, & aqua, ante & retro in altitudine, sursum, & deorsum in longitudine, dextrum & sinistrum in latitudine, ex quinto phys. te. 50. & reliqua id genus, ergo sicut accidentalis vita potest protrahi vel corripi, ita & naturalis, quia sicut vnum contrarium accidentale alteri accidentali aduersatur, ita vnum contrarium naturale alteri naturali repugnabit, vt colligitur secundo de cœlo te. 18. & primo de generat. te. 65. Sed vita naturaliter, & accidentaliter potest breuiari, ergo & produci naturaliter & accidentaliter. Si quis dicat mortem non posse prohiberi, quia est à natura, & secundum naturam, nihil etiam dicit, quia sic vita per ipsum nec posset produci, nec breuiari quia illa quoque est à natura, & secundum naturam, at qui vitam producere plurima possunt ergo & mortem prohibere, mortem natu-

naturalem esse, & naturaliter hominibus contingere. ex eo fit liquidissimum, quod elementa existentia in composito naturaliter appetunt separationem, & reuerti ad sua loca naturalia, cum quamdiu sunt in composito, sint extra proprium locum, & iste appetitus elementorum non potest esse frustratorius, cum sit à natura quæ nihil facit frustra, ex Arist. primo de cœlo te. 32. & Galen. 6. de plac. Hipocrat. & Plato. cap. 4. & lib. an sanguis sit in arteriis cap. 6. oportet igitur, vt ad actum huius appetitus potentia reducatur, & ita illa separatio, aut dissolutio necessario inferet corruptionem, ex quo manifestus est error Thomæ de Garbo in sua quæstione dicentis si humidum substantificum posset æque in eadem perfectione reparari, posse homines perpetuari, quia mortis causa non est ex defectu tantũ humidi, sed ex compositione, aut mixtura elementorum, extra proprium locum existentium, videatur Auic. prima primi cap. de compl. ætat.

Septimo Contraria sunt, & fiunt circa idem ex quinto met. cap. decimo de oppos. & contrar. & in prædicamentis in cap. de oppositis & decimo meth. te. 13. & 14. vita, & mors sunt contraria, ergo versantur circa idem, sed vita potest abbreuiari, ergo etiam prorogari, ita etiam mors potest induci, ergo & expelli, vel prohiberi, quod autem sint contraria mors, & vita dilucidum est, quia contrariorum vnum est priuatio alterius vt tradit Arist. secundo phys. te. 15. & 10. met. te. 15. & 16. & 7. met. te. 27. & primo de generat. te. 18. & secundo de gener. te. 32. & aliis plurimis in locis, mortem autem vitæ esse priuationem quis vnquam negauit, aut negabit? negabit aliquis forsitan maiorem illam propositionem contraria fieri circa idem, quia magnitudo est diuisibilis in infinitum, non autem augumentabilis in infinitum, ergo circa eandem materiam non contingunt esse duo contraria.

Respondeo cum dicitur circa idem esse duo contraria,

intelligitur cum grano salis, si esse possunt, & non repugnet ex parte vnius, vel alterius, vt est in magnitudine, repugnat enim esse illam augmentabilem in infinitum quia cœli ambitus omnia continet, & cum ad illud peruenitur, oportet terminari omne id, quod in cœlum augetur, diuisio vero non repugnat ex parte rei, ita in proposito repugnat augeri vitam in infinitum, quia habet vita intrinsece esse corruptionis sui ipsius, vt dictum est, non autem repugnat breuiari.

Octauo Anima vt forma est corporis & illi affinior magis in ipsum imprimit, quàm vniuersalis influxus cœlestis qui est exterior, idcirco pulchre Temist. primo de anima asserit maiorem affinitatem habere animam affectam, vel animæ affectiones cum corpore, quàm sensus, eiusque sensationes, verba illius sunt. Neque corpus tanquam instrumentum machinamentumque affectionum est, qualia sunt sensibilium virium sua organa, & intermunia sentiendi, sed maior quædam affinitas est corporis cum perturbationibus animæ, quàm sensibus cum instrumentis, & huiusce affinitatis causam subiungens, ait, Hæc si lacessita, pauloquè affecta fuerit munus sentiendi legitimum abrumpunt & impediunt, corporis autem mala permixtio non impedit affectiones, sed promouet potius, atquè exaurit hæc ille; sed influxus ille spherarum faciens sensationes vitam producit, & corripit, ergo idem efficiet anima, & multo magis faciens affectiones, nisi fortè impediatur. Nam sicut impediri potest ne cœlum influat sua virtute in aliquam rem per accidens, ita etiam anima, sed esto nullum esse impedimentum, anima vitam producet.

Nono termini naturales non sunt præfixi, & arithmetici, sed tempus mortis, est terminus vitæ naturalis, ergo non est præfixum, ergo vita poterit produci. Antecedens demonstrant arborum pullulationes, generationes ver-

mium ex putredine, quæ aliquando prius, aliquando posterius accidunt, mulieres, quarum quædam pariunt in septimo mense, quædam in octauo, quædam in nono, quædam in decimo. Idem ætates, quæ non vno eodemquè termino & periodo terminantur, vt iuuentus quibusdam terminatur in triginta annis, aliis in trigintaquinque, & ita de singulis, iidemque iuuenes non vno eodemque temporis interuallo ad actus venereos mouentur, aut barbescunt, & mulieres non vno, eodemquè tempore menstrua patiuntur. Item a maribus deperditur generandi facultas, vt mulieribus menstrua cessant varia ætatis intercapedine. Nam vt est varia cuiusquè complexio, ita varij nascuntur effectus, vtquè virtus in omnibus non est eadem, ita nec eodem tempore effectus isti contingunt.

Decimo morientibus cum exhibetur aliquod electuarium, aut vinum, aut potio aliqua aromatica, qualis est ex auro confecta retardatur mors, ergo vita potest produci. Idem enim sunt mortem retardari, & vitam prolongari. Idem accidit ex aliquo odore, pomo retento in manibus vt Con. refert Aristotilem diutius vixisse, qua quidem in re est pulchra dissensio, qua ratione odores nutriant membra solida, humores, & aliàs corporis partes, an id operentur introducendo in corpus, spiritus, & cor, optimam quandam qualitatem, an potius remouendo prauam, sed de his aliàs.

Vndecimo aliquæ coniunctiones quid magnum portendentes longo prius tempore præcedunt antequam earum contingat euentus, disponunt enim interim materiam, vt formam tandem introducant, & tam multa sunt exempla coniunctionum rerum naturalium, quæ in dies eueniunt, quæquè nostrum hoc argumentum confirmant, vt nullus amplius sit relictus locus dubitationi, quædam enim coniunctiones sunt, quæ in corpore bilem generant, quædam pituitam, & alia, quæ sunt causa morborum, & mortis,

mortis, nisi arte, & industria medicorum astrologiam callentium, consulatur.

Decimasexta Ratio corpora corrumpuntur tribus de causis secundum Galen.

Prima est propter defectum humidi radicalis, & caloris naturalis, quæ possunt reparari, vt prius est dictum in argumento duodecimo secundæ sectionis.

Secunda propter alterationem, & sic contraria contrariis curantur.

Tertia propter substantiæ euaporationem, aut euanescentiam, & sic potest impediri, & noua apponi, ergo vita etiam protrahi.

Decimaseptima Ratio Ad quid, vt Fernelij lib. primo met. cap. primo sermone vtar, ad quid inquam tot tantorumque doctorum virorum vigiliæ, nisi hæc facultas medica quid maius quàm natura præstaret? quandoque enim adiuuat naturam, vt in concoctionibus excrementorum, & malorum humorum in crysibus bonis, sed imperfectis, non raro naturam imitatur, vt in cicatricibus efformandis, interdum naturam corrigit vt in crisibus simptomaticis, frequenter tandem etiam superat, vt in fracturis brachiorum, licet semper medicina ministra naturæ sit dicenda, vt Galenus libro de constitutione artis medicæ cap. 14. quia id non facit sine natura, & applicet quidem actiua passiuis. Quare natura ipsa est potius, quæ in actum medicamentum deducit, & perficit opus.

Decimaoctaua Ratio Vita humana est debilitata ab eo, quod antiquitus fuit propter malum hominis regimen in sex rebus non naturalibus, vt manifestè docet experientia, vnde fit, vt homo tot morbis sit subiectus, ergo beneficio medicinæ non videbitur inconueniens posse vitam prorogari vltra nostri temporis terminum, cum non egrediatur suos terminos, quos à principio creationis à Deo creatore nostro acceperit.

TER-

TERTIA SECTIO DISPVTATIONIS.

VT is à nobis ordo seruetur, quem initio polliciti sumus, supereſt vt recitatis vtrinque argumentis, quid tenendum sit, tandem aliquando statuamus, quod vt clarius eluceſcat, rem propoſitionibus quibuſdam non prius definiendam exiſtimauimus, quin ſententias aliorum breuiter attingamus. Tres ſunt de hac re ſententiæ.

Prima eſt eorum qui aſſerunt, poſſe à medicina retardari mortem violentam & accidentaliter emergentem, non tamen omnem, vnde excipiunt eam, quæ fit ab homine ſtatim occidente alium, qua ſolum dempta, omne genus violentæ mortis poſſe retardari, pro aris focisquè tuentur, naturalem autem & ſponte venientem retardari poſſe negant omnino. Argumenta illorum allata ſunt ſuperius.

Secunda eſt Gentilis de fulgineo prima primi doc. 3. cap. ſecundo dubitat. 26. ſuper Auicenna qui rem menſurat ex conditionibus indiuiduantibus, quæ licet habeant determinatum aſpectum in morbos cadendi, & manendi, vita tamen poteſt extendi vltra illum terminum indiuiduo debitum, ob eas conditiones indiuiduantes. Vnde infirmitas præueniri, & euitari cum poſſit, mors per conſequens eo tempore euitabitur.

Tertia eſt Nicolai florentini ſer. primo cap. 27. qui putat vitam per ſe prolongari non poſſe, per accidens autem poſſe, quia nunquam apponi poteſt tantum humiditatis, vt vita protrahatur, concedit per accidens quia tãtum humoris poteſt intromitti, quod tanta non fieret reſolutio, ſi non intromitteretur.

Sen-

Sententiis his breuiter recitatis ad nostras propositiones descendamus.

Prima propositio terminus vitæ speciei humanæ, & indiuidui respectu cognitionis, & voluntatis Dei de facto non potest prolongari à medicina, vel alio artifice, & consequenter nequè mors breuiari poterit, siue ea sit naturalis, siue accidentalis, vel violenta, etiam si adsit temperamentum melius totius vel partis, & partium principalium. Hæc propositio magis indiget expositione, quàm probatione, exponam itaquè breuiter singulas illius partes. Dixi terminus vitæ speciei humanæ, quem supposuimus esse determinatum, & esse talem terminum, quò homines nostræ ætatis perueniunt, nam olim diutior erat vita speciei humanæ, quàm est in hac nostra tempestate, vt in sacris litteris videre est, vel secundum speciem humanam, quia si homo comparetur elephanti, vel leoni, vel ceruo, vt ferunt, vel aliis animantibus diuturniorem vitam agentibus, non poterit illum terminum suum transilire.

Dixi secundo respectu cognitionis, & voluntatis Dei, quia Deus cum sit immutabilis, & omnia habeat sibi præsentia breuissimo, & præsentissimo suæ diuinæ mentis, vt ita loquar, intuitu, & via ordinaria, vt dicunt Theologi, terminum vitæ speciei humanæ huius nostri temporis non prorogat, quod si Deus non facit, nec faciet alius artifex longe Deo potentissimo impotentior.

Dixi Tertio siue mors sit naturalis, quoniam eam duplicem faciunt, alteram, quæ sponte contingit ex naturali caloris naturalis resolutione, Alteram, quæ fit ex malo viuendi regimine, quarum secunda propriè naturalis dici nequit, sed potius accidentalis, dicta est autem naturalis ad differentiam mortis violentæ, quæ fit ex gladio, veneno, aut instrumento alio violento, nostra quidem conclusio de morte propriè naturali intelligenda est, nec

desunt

desunt aliqui, qui naturalem mortem appellant respectu cœlorum agitationis, & cursus, qui naturaliter moti illam inducunt, vel eo quod per ipsam intenditur generatio, cum corruptio vnius sit generatio alterius, vel quia contingit terminum naturaliter constitutum à natura vniuersali terminum vitæ certum constituente.

Dixi Quarto, Accidentalis, vel violenta, quia hæc etiam duplex est, altera proprie dicta, quæ fit per occisionem, toxicationem, & similia, altera quæ fit ex causa occulta, vt est crapula, & mala vitæ gubernatio, quæ mors licet violenta sit, apparet tamen esse naturalis, ob causam illam occultam. Nos hic loquimur de priori vt bene quidam distinguunt, quamuis alij vocent mortem violentam, & quod sit contra naturam, quæ vnicuiq; rei indidit, vt appetat naturaliter esse, & fugiat, horreatq; nõ esse.

Dixi Quinto etiam si adsit temperamentum quod est commune dictum tam pro prima, quàm pro secunda parte propositionis, idest tam pro longitudine, & breuitate vitæ, quàm pro acceleratione, vel cunctatione mortis, quia vita, quæ sequitur temperamentum partis, vel quod idem est, determinatas indiuidui dispositiones, non potest produci, licet possit abbreuiari, quæ vero sequitur conditiones indiuiduantes, quæ habent determinatum stellarum aspectum, potest prolongari, quia mors potest retardari, vt si quis infirmetur aliquo euentu, quo secus esset moriturus, nisi medicorum ope leuaretur, aut si quis habeat malam cerebri dispositionem ad cor, vnde infirmetur, quia in hoc tàm morbus potest præuideri, quàm auxilium ferri tempore opportuno.

Secunda propositio medicina non potest prolongare vitam hominis vltra vltimum terminum specificarum complexionum, scilicet æqualis, inæqualis sanguineæ, colericæ, phlegmaticæ, melanconicæ, talibus complexionibus in suo statu permanentibus. Dixi hic vltra vltimum

erminum ſpecificarum complexionum; nam ſi complexiones ſecundum ſuas latitudines conſiderentur, vita protrahi poteſt, vt in ſequenti propoſitione dicetur, nunc probatur. Vnaquæque complexio habet terminum vltimum definitum; licet vna habeat terminum longiorem, quàm alia, ergo vltra illum complexionis propriæ finem vita extendi non poteſt, alia ad idem ſuperius relata ſunt.

Tertia propoſitio medicina ſuis auxiliis poteſt intra cancellos vitæ humanæ abbreuiare, & prolongare terminum illius, mortemquè tam accidentalem; quàm naturalem ſequentem modos complexionum in latitudine ſpeciei probatur.

Primo quia habent modi illi latitudinem, & non ſunt indiuiſibiles, vnde vnus colericus alio diuturnius viuere poteſt, vt vnus melancolicus alio citius mori, & ita de ſingulis.

Secundo Quia vna complexio mutari poteſt in aliam meliorem, quæ diu vitam conſeruet, ſicut in deteriorem, quæ breuiſſimè vitam tueatur ex Auicena prima primi c. de complex. æta. vt ſupra, & ſi ad perfectiſſimam deueniretur complexionem, diuturnior futura erit vita mortalium.

Quarta Propoſitio Medicina prorogare poteſt, & de facto prorogat vitam hominis, ſiue per accidens prohibendo cauſas ledentes, putrefacientes, & reſoluentes calorem naturalem, & humidum radicale, ſiue per ſe veluti mutando vnam complexionem in meliorem, & reſtaurando melius humidum radicale, non tamen ſemper, & omni ex parte id efficere poteſt, at certè pro aliqua vitæ productione, quia poteſt facere, vt reapponatur tantum humiditatis, vt prohibeatur ea corporis deſiccatio, quæ omnino eueniret, niſi humidum intromitteretur. Hoc ipſum aſſeritetiam Nicolaus Florentinus ſer. 1. cap. 27. licet neget poſſe reapponi humidum, quod per ſe efficiat vitæ prolon-

prolongationem. Hinc bene, & sapienter vt sui moris est Gal. ait in 6. de sanitate tuenda quæcunque corpora habent à prima generatione bonam constitutionem, nunquam ea attingent terminum extremum senectutis, quod si aliquando eo perueniunt, semel tantum egrotant. Nec ita verti in melius assero, vt operationes omnes omnino fiant meliores, quia sic posset senex fieri iuuenis, sed quod extensiuè addi possit humiditas, scilicet pro diuturniori animæ informatione, vt supra satis superque declaratum est.

QVARTA SECTIO DISPVTATIONIS.

Vpereſt tandem tam prioris, quàm posterioris partis argumenta diluere, & quæ nostras etiam infirmare propositiones videntur omnino in terram prosternere.

Ita enim fiet, vt veritas nobiscum punct ab aduersarijs prorsus extorris.

Argumentis igitur & rationibus primæ partis ita respondeti potest.

Ad primam Rationem ex duobus Aristotelicis locis confirmatam respondeo, illam tantum concludere de vltimo termino vitæ, qui speciei humanæ tribuitur, qui præteriri non potest, vt in nostris propositionibus dictum fuit.

Ad secundam Rationem conceditur à Conciliat. virtutem illam viuificantem, & restaurantem esse finitam, non tamen omni modo finitam, & determinatam, sed finitam ea finitate, quæ dicitur lata, non autem ea, quæ dicitur angusta, vel clarius finitam esse, non mathematice, sed naturaliter, non consistere indiuisibili, sed suam habere latitudinem, intra quam, & cum qua, adhuc est finita, &

de hac finitate intelligi debent auctoritates illæ à Philosophis, Medicis, & Theologis depromptæ, quæ sic intellectæ nostræ doctrinæ potius fauent, quàm aduersantur.

Respondetur secundo virtutem illam esse finitam secundum vltimum terminum speciei humanæ, sed intra istum terminum speciei humanæ posse à medico magis, aut minus augeri, vel minui, vt exhibita medicamenta magis, aut minus corporibus prosunt, & vt opportuno, aut importuno tempore ministrantur.

Ad tertiam Rationem dicitur secundum Fern. in principio suæ methodi medendi eam esse artem medicam, vt non raro quid maius præstet, quam natura, iuxta illud Arist. 1. physic. te. 79. Ars perficit aliqua, quæ natura non potest operari, & ratio est, quam tradit idem Arist. 12. met. te. 13. quia ars agit extra, & natura intra, vel secundùm alios, artem medicam non efficere tam miros effectus sine natura, cuius est quasi ministra, & pedissequa, Ideo querenti cuidam, an Reubarbarum purgandæ bilis virtutem habeat, id responsum accipiat Reubarbaro in stomacho recepto, & à calore naturali ventriculi actuato, bilem attrhai in ventriculum, quæ toto ferè corpore esset diffusa, ea vero attracta non vi Reubarbari per secessum emitti, sed vi caloris naturalis eam expellentis, tanquam pabulum sibi inimicum, non secus ac cibos crudos, ac indigestos, partim euomit, partim etiam per meatus excrementorum deijcit, quod verum ne sit, nihil nunc statuo. Imo aliquando ita facultas medica causa est naturam adiuuans, vt sine eius auxilio natura deperiret, & suffocaretur, nisi quædam excrementa deijciantur vi medicamentorum, cumquè Arist. fateatur lib. 10. prob. prob. 44. Naturam omnia praua facere, & plura praua, quàm proba, proba vero pauciora, & præstare non omnia posse, non est mirandum si arte indigeat, vt non omnia praua faciat, & vt plura efficiat bona, & natura cum arte in hoc conue-

nit ex 10.Met. 16. vt non potentiam, sed actum intendat, quare potest vtraque actum viuendi producere intra terminum tamen vt supra. Vtraque etiam in rerum concoctione ab vtili secernit semper inutile, vt tradit Arist. 2. de generat. animalium cap. 11. multas denique res complet natura, quæ sunt per artem, & ars multas etiam, quæ sunt per naturam, vt colligitur ex Arist. 2. phy. te. 77. & 79. Nec dedecet in aliquo effectu producendo, aut conseruando, causam imitatricem esse potentiorem ea, quam imitatur vt experientia quotidie docet, & doctissimus Zimara in theor. prop. 10. circa medium probat causam non semper esse suo causato perfectiorem infero ego neque potentiorem, cum esse magis potentem sit esse perfectiorem, & alia id genus. Posset hic aliquis quærere effectus medicorum sint ne totaliter naturales, an totaliter artificiales, an mixti, & rursus an vti effectus fiunt ab arte, ita etiam à natura fieri possint, & è contra, sed alias hæc discutiēda sunt.

Ad quartam Rationem quæ partim est medica, partim philosophica, partim etiam theologica, respondeo præmissa multiplici ad dictum Auic. responsione.

Primo dictum illud intelligit Iacobus de par. de termino vitæ naturali communi, & regulari, quem raro indiuidua attingunt, & illum nunquam pertransire possunt.

Secundo Gentilis illud putat dictum ab Auicen. quia licet possit vita indiuidui abbreuiari, & prolongari, tamen considerata conditione indiuidui, magis eam accidit abbreuiari, quàm prolongari, ob multa, quæ tali indiuiduo accidunt detrimenta salutis.

Tertio Addit Gent. Auicen. eo loco loqui secundum primam complexionem, quæ prima complexio potest esse peior, quàm sit in sua latitudine, vnde ita dictum exponit, vnumquodque eorum, scilicet indiuiduorum, vel eorum, scilicet calidi, & humidi, secundum complexionum diuersitatem, scilicet secundum quod complexio est diuersa,

non

non solum vnius à complexione alterius, sed in partibus etiam suæ latitudinis, potest breuius, aut diutius viuere.

Ad argumentum ergo de terminis abbreuiatis, & non elongatis, dicitur dari terminum elongatum, vt datur terminus abreuiatus, quia vno concesso contrario conceditur & aliud, vt supradictum est. Quod autem Auicenna meminerit tantum breuiatorum, non elongatorum, factum est, vel quoniam vnius faciens mentionem vtrumque voluit complecti, & à nobis intelligi, vel secundo quia contingit sæpius breuiari, vel etiam tertio illos abbreuiatos dixit respectu ætatis speciei humanæ, & etiam respectu ætatis naturalis indiuidui, non autem vltra terminum hominibus concessum, & vltra naturalem indiuiduorum vitam, qui terminus elongatus, quoniam non datur, non opus fuit illum posuisse, aut illius meminisse. Ad aliud sequens argumentum, dicimus, ex præcepto Dei summi multa euenire posse accidentaliter quidem respectu nostri, non autem respectu Dei, vt tradit sanctus Thomas prima parte suæ summæ quæst. 14. art. 13. vtrum scientia Dei sit futurorum contingentium, & libro primo contra gentes cap. 67. in tertia ratione, vbi multa in hanc eandem rem congerit Ferrariensis, illius operis egregius commentator, quare terminus vitæ respectu nostri erit contingens, & varius, non respectu Dei.

Vel dici potest secundum alios concurrit Deus ad aliquem effectum efficienter, & permissiue, ad bonos effectus concurrit quidem effectiue, ad malos vero effectiue, vel permissiue, vt malum est vel pœnæ, vel culpæ, malum autem pœnæ est, quod subtrahit, vel formam, vel aliquam partem requisitam ad integritatem rei, vt est cecitas, & carentia membri, quæ pertinent ad actum primum ex sanct. Thoma prima parte, quæst. 48. artic. 5. in corpore, quod malum pœnæ fit à Deo vel ad punitionem, vel ad augmentum meritorum, ex doctrina sanctorum vt

Caiet.

Caiet. prima parte, quæst. 49. artic. secundo, & sanctus Thomas ibidem in corpore quæstionis malũ, inquit quod in corruptione rerum aliquarum, consistit, reducitur, in Deum sicuti in causam, tam in naturalibus, quam in voluntariis. Ordo enim vniuersi requirit vt quæ possunt deficere, interdum deficiant, & peccatoribus pœna debet inferri ex ordine vniuersi, ad quem pertinet ordo iustitiæ, & sic Deus est auctor mali pœnæ, etiam S. Thom. prima parte, quæst. 19. artic. 9. in corp. Malum inquit naturalis defectus vel malum pœnæ Deus vult volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum, vt volendo iustitiam, vult pœnam, & volendo ordinem naturæ seruari, vult quædam naturaliter corrumpi. Malum vero culpæ est, quod subtrahit debitam operationem, vel quia omnino non sit, vel quia debitum modum, & ordinem non habet, quæ pertinent ad actum secundum, nam malum est priuatio boni, quod in perfectione, & actu consistit principaliter & per se, actus autem est vel primus, ad quem refertur malum pœnæ iam dictum, vel est secundus, ad quem reducitur malum culpæ ex S. Thom. prima parte, quæst. 48. ar. 5. in corpore, quod malum culpæ quia priuat ordinem ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult, ex Sancto Thoma prima parte, quæst. 19. ar. 9. in corpore, & Caiet. ibidem in fine com. Malum culpæ inquit fieri ex intentione peccantis, & non esse effectum reducibilem in causas superiores, sed pro propria causa habere ipsum peccantem, vnaquæque enim res debet iudicari secundum propriam causam, vt etiam scire nostrum tali pacto contingit, ex Ari. primo post: te. 5. illud idem etiam asserit Sanctus Thomas prima parte, quæst. 49 artic. secundo, in corpore. Malum dicens, quod consistit in defectu actionis semper causatur ex defectu agentis, & cum in Deo nullus sit defectus, sed summa perfectio, idcirco malum, quòd in defectu actionis consistit vel ex defectu

agentis

agentis causatur, non reducitur in Deũ, sicuti in causam, quomodo autem defectus actionis respectu agentis naturalis, & respectu agentis voluntarij se habeat perquiratur apud S. Thom. prima parte, quæst. 49. ar. 1. ad tertium. Cæterum Deus non solum non est auctor, siue efficiens mali culpæ, verum etiam nec Deus potest facere malum culpæ, cum in legis præceptis hoc prohibeatur, & Deus sit fidelis absque vlla iniquitate teste propheta, nec potest legi diuinæ aduersari, quia sic sibi ipsi aduersaretur. Sed malum culpæ permittitur à Deo, vt S. Thom. prima parte, quæst. 49. ar. 2. in corpore in fine, & Caiet. prima parte, quæst. 22. ar. 2. ad secundum mouet difficultatem quo pacto mala culpæ sint permissa à Deo propter perfectionem vniuersi, amplius etiam in prima parte, quæst. 49. ar. 2. in corpore quæ dicta sunt explicat Caiet. dicens, quod claudicatio sortis, vt defectum dicit actionis, non reducitur in Deum vt causam effectiuam, sed in defectum causæ secundæ, verum vt est voluntaria reducitur in Deum vt auctorem pœnæ, vt autem est à charitate ordinata, reducitur in Deum, vt auctorem meriti. Verum hoc loco non est prætermittendum, quod sicuti ex Arist. 3. phy. motus, vt proficiscitur ab agente est actio, vt autem recipitur in patiente, est passio, sic malum vniuersaliter sumptum vt procedit ab agente refertur ad actionem, vt vero recipitur in patiente reducitur ad passionem, præterea vt malum culpæ effectiuè procedit à defectibili agente, sic malum pœnæ recipitur in patiente, tandem vt malum culpæ agentis defectibilis naturam actu deprauat, sic malum pœnæ, patientis naturam actu afficit. Cæterum licet malum vt malum est, & vt dicitur de malo culpæ, & de malo pœnæ, non includat in sui ratione quod vel tantum fiat à Deo, vel tantum permittatur ab eodem, cum vtrumquè illi non repugnet secundum varias mali considerationes, & species. Cum, vt est malum pœnæ, fiat à Deo, vt vero est malum culpæ,

culpæ, tantum permittatur ab eodem, tamen cum culpa magis habeat rationem mali, quàm pœna, siue sit pœna sensibilis consistens in priuatione bonorum corporalium, siue sit priuatio gratiæ, vel gloriæ,& præsertim cum Deus sit auctor mali pœnæ, non autem mali culpæ, etiam malũ culpæ proprie opponatur bono increato vt S. Tho. 1.par. q.48.ar.6.in corpore, idcirco potius malo videtur conuenire quod à Deo permittatur, quàm quod ab eodem fiat, vt etiã ens prius dicitur de substantia, quam de accidente, tanquam de priori eius analogato, immo omne malum permittitur à Deo,sed malum culpæ tantum permittitur à Deo, malũ vero pœnæ ita permittitur à Deo, quod etiam fiat ab ipso Deo,vt prius dictum est,vnde S.Thom. 1. par. q.19.ar.9.ad vltimum licet mala fieri,& non fieri contradictorie opponantur, tamen velle mala fieri,& velle mala non fieri,non apponuntur contradictorie,cum vtrumq; sit affirmatiuum, Deus ergo neq; vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, & hoc est bonum,& S.Thom.prima parte,quæst.22.ar.2. ad secundum inquit cum Deus sit vniuersalis prouisor totius entis, ad ipsius prouidentiam pertinet vt permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuersi perfectum,si enim omnia mala impedirentur,multa bona deessent vniuerso, non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium,neque esset patientia martirium si non esset persecutio tyrannorum, vnde D.Aug.in Enchir. Deus omnipotens nullo modo non sineret aliquod malum esse in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt bene faceret etiam de malo, quare quæ dicuntur esse contra naturam particularem, vt corruptiones, & defectus rerum naturalium, sunt tamen de intentione naturæ vniuersalis, quatenus defectus vnius resultat in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi, nam corruptio vnius est generatio alterius, per

quam ſpecies conſeruatur. Cæterum malum habet modum cauſæ materialis, bonum ipſum videlicet, quod eſt ſubiactum materiale, & per modum cauſæ agentis, non tamen per ſe, ſed pro accidens, ex S. Thom. prima parte, quæſt. 49. ar. 1. in corpore, nam malum non eſt natura quædam, aut forma, vel eſſe, vt malè ſenſerunt Pythagorici referente Ariſt. in prædic. c. de oppoſ. ponebant enim bonum & malum eſſe genera, niſi tamen intelligantur quod ſe habeant vt habitus & priuatio, eſt enim hæc prima contrarietas ex Ariſto. 4. meth. te. 4. & 10. met. vel vt omnis forma habet rationem boni, ita omnis priuatio vt ſic, habet rationem mali, legendus eſt de hac re S. Thom. prima parte, queſt. 48. ar. 1. in corpore quæſtionis, & ad primum, non tamen habet malum cauſam formalem, quia magis eſt priuatio formæ, neque cauſam finalem, quia magis eſt priuatio ordinis ad finem debitum, & bonum, licet non ſolum finis habeat rationem boni, ſed etiam vtile, quod ordinatur ad finem. S. Thom. prima parte, quæſt. 49. ar. 1. in corpore. Multi ergo, vt ad rem noſtram tandem deueniamus, termini abbreuiantur homicidijs, toxicationibus, & huiuſmodi, immo quoque quidam non ſolum interficiuntur à peioribus ſeipſis, ſed etiam ipſimet ſibi ipſis mortem inferunt de quibus videatur Ariſt. 3. ethic. cap. 7. & 5. ethic. cap. 11. & præterea S. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 64. ar. 5. Deo efficiente quidem, vt ſunt mala pœnæ, permittente autem tantum, vt ſunt mala culpæ. Cum ergo Auic. terminorum vitæ diuerſitatem tribuit diuino præcepto, intelligendus eſt cum diſtinctione dicta, effectiuè vel permiſſiuè, id eſt Deo id efficiente, aut permittente breuiantur aliquibus, aut producuntur termini vitæ, vt probatur in 9. ratione Secundæ Sectionis, Quod autem Deus ad actum, vt dicit quid poſitiuum, vel ſubſtantiam actus, aut ſubſtratum vt vocant, videlicet vt eſt operatio quædam, ſemper concurrat

rat effectiuè, patet quoniam ex Iac.de Par. impossibile est causam quantumcunque maleficam aliquid agere, nisi manu teneretur in esse, & agere à prima causa quoniam quælibet causa secunda in esse, & agere habet aliquid entitatis, & bonitatis per parricipationem cum prima causa, & omnis entitas, & bonitas per participationem necessario dependet ab entitate, & bonitate per essentia, vnde quod boni producit, in virtute primi effectoris producit.

Magnus Conciliator ex mente Auer. & Arist. aliter ait posse huic Argumento responderi, ex quo etiam patet quid sit respondendum ad id, quod subiungitur, Deum scilicet esse agens quoddam, necessarium, & nihil posse in hæc inferiora absque medio, quoniam omnis eius actio perficitur cum motu, & transmutatione, vnde periodus inducta in hac inferiori materia à corporibus cœlestibus non habet permutari, cum ad eam permutationem sequatur inordinatio quædam, vel defectus, & mutabilitas in causa prima, ex quo inferretur non sapienter primitus esse res ordinatas, nam quæ sapienter, & perfectè facta sunt, mutari non possunt, nec debent. At Deus secundum veram philosophiam, & lumine naturali acquisitam, agens est liberum, & hac in re turpiter lapsus est Auer. alijque, qui Deum agere necessario scripserunt ea, quæ extra se efficit, & vt tale agens liberum, & voluntarium per suum intellectum disponit, ac mutat omnia, vt ei placet, & si qua mutatio videtur adesse, illa non Deum, sed res ipsas respicit, & miror hominem Christianum eam solutionem afferre, quæ suæ fidei principijs repugnat. Addi etiam potest quæstionem istam naturaliter intelligi, non supra naturaliter, quò non pertingit Philosophus, aut Medicus, quem nos profitemur. Ad id, quod scientia Dei est causa rerum, ait Conc. & bene verum esse, vt Deus præuidit ab æterno, ita res

euenturas, tamen ea præscientia, & præuisio non imponit necessitatem rebus, nam Deus omnia produxit, & omnia comprehendit sine motu, & in indiuisibili, nos autem percipimus cum motu, & tempore, cum necesse sit intelligentem phantasmata speculari ex Arist. in tertio de anima, te. 39. & lib. de mem. & rem, & vt nicticorax non valet percipere lumen solis, sic neque nos substantias abstractas, ex Arist. secundo met. in principio, vitæ terminus noscitur à Deo, & vti cognoscitur, ita breuiatur, aut elongatur, ea autem elongatio, aut breuitas terminorum, non faciunt Dei scientiam, aut cognitionem. Addi etiam potest Deum concurrere cum causis secundis, vt ipsæ secundæ causæ aptæ sunt ad suam operationem, idest cum causis necessarijs, necessario, cum contingentibus, contingenter, vt disputant Theologi primo sent. dist. 38. & 39. & S. Thom. primæ parte suæ summæ quæst. 19. artic. octauo dans causam, quare Dei concursus cum causa necessaria, necessitatem efficiat, & cum contingenti, contingentiam, quod etiam disputat, quæst. 6. de verit. artic. 3. ad 7. & 8. & alijs pluribus locis, Vnde cum causis producentibus vitam, concurrit vitam producendo; cum causis breuiantibus, concurrit breuiando, & ita præscientia Dei nunquam fallitur, vt bene Theologi docent, & probant.

Ad quintam Rationem cum suis omnibus auctoritatibus ex sacra scriptura desumptis, & tribus illis confirmationibus, respondetur vnico verbo, verissimum esse Deum vitæ finem imposuisse, & ab ipso vitam omnium dependere, vt rerum omnium causa, & vltra terminum istum non datur naturaliter progressus, vnde non potest is à Medicis, & à quibuscumque causis prorogari, sunt vero alij termini, qui naturales, & accidentales vocantur, qui sunt intra terminum speciei, & hi prolongari possunt vi medicamentorum, multo magis diuina virtute, quæ

etiam

etiam potest vlterius, quo Dei voluntas fertur, extendi, hinc fit conspicuum hominem esse mortalem vt fides tenet, & sacræ litteræ testantur, & magistra rerum experientia edocet, sed vt etiam ad particularia, & singula descendamus, dicitur Deus produxisse omnia cum pondere, numero, & mensura suauiter se conformans cum naturis secundarum causarum, ita vt cum necessarijs necessario dicatur concurrere, cum liberis, & contingentibus, libere, & contingenter, ita cum producentibus, aut vitam breuiantibus, vt supra. Illud etiam Iob intelligit Conciliator non simpliciter, sed respectiuè ac de termino communi lato, & indeterminato, non autem angusto, præciso, & particulari, quoniam vita hominis nunc extenditur ad quinquagesimum annum, vt hunc numerum tempus angustum fingamus, & ducentesimum non pertingit, vt etiam istum numerum latum terminum accipiamus, sed inter hos latos terminos reperitur diuersimodè terminata, vt patitur vniuscuiusque natura, & conditio, & intra hos terminos vita potest breuiari, aut produci.

Ad sextam Rationem Concedimus ad corruptionem principiorum, corrumpi etiam corpus, & vitam humanam, ex quo patet etiam solutio ad septimam minoris probationem. Nec etiam negamus, vt in prima probatione minoris, transmutationem alimenti habere suum finem vltimum. Damus quoque alimentum agere, & pati in calorem naturalem, & illum debilitari ex hac digladiatione, tamen ista digladiatio intra terminum speciei humanæ posset prohiberi, non vltra, quare etiam intra terminum vita prorogari valebit, & ita exemplum vini cum aqua intra eundem terminum etiam valet.

Ad illud in secunda probatione, quod non fieret

generatio, quæ tantum intenditur à natura, dicitur intendi illam, & fieri intra suos terminos.

Ad tertiam probationem ex Arist. & Auic. hominem esse moriturum, non negamus ob tot tantasquè rerum in homine contrarietates, omnes tamen humani corporis contrarietates, licet semper inter sese pugnent, nunquam tamen inducunt interitum naturaliter, nisi in vltimo termino præfixo, iuxta quem cum tota sua amplitudine possunt illæ retineri concordes vi medicamentorum, & bono regimine, & alijs auxilijs externis, quibus, cum accidit suffocatio aut resolutio, potest arceri.

Ad quartam, quintam, & sextam probationem quod homo sit corruptibilis, quia varie compositus, verum est, sed naturaliter corrumpitur intra latitudinem vitæ prorogationis, non extra.

Ad septimam patet ex dictis in principio solutionis huius 6. argumenti.

Ad octauam probationem de causis externis contrarijs vitæ, eadem est responsio, quæ data est de internis mortem afferentibus, vt sunt cœli, elementa, frigus, & calor extraneus, & ex elementis composita, & alia, si quæ reperiuntur.

Ad nonam probationem quod corpus fluit, vt placet Galeno, fluit quidem naturaliter intra eundem terminum.

Ad decimam probationem, videlicet ad auctoritates illas diuinarum litterarum, & ethnicarum eadem solutione respondetur, hinc etiam apparet insania illius philosophi vitæ perennitatem edocere falso volentis.

Ad septimam Rationem dubium est apud Theologos. An Adam, & sua posteritas, si non fuisset peccatum, morbis fuissent obnoxij, communiter negant, & immortalem creatum, & futurum volunt, si in eo statu permansisset, vt asseuerant S. August. lib. 3. super Gen. cap. 21. & Theologi cum Magistro senten. lib. 2. dist. 19. quia corpus ita animæ subde-

subdebatur, vt ex nullius rei appetentia in aliquam intemperiem deueniret, nec ratione loci corpus alterationi subditum fuisset, cum locus ille sit optimè temperatus, neque cœli inclementia ibi obfuisset, quæ ibi nulla prorsus extitisset, neque elementa inuicem pugnassent in corpore, cum ibi summa inter illa pax, atque concordia reperiatur, & tantum restauraretur, quantum caloris vi absumptum fuisset. Vnde lignum vitæ, quod vitam conferret, est appellatum, sed esto fuissent morbis aliquando occupati, tamdiu vixissent, quamdiu virtute propria morbis resistere potuissent.

Ad octauam Rationem negatur Cons. si potest vita prorogari ergo, & perpetuari, & ratio quare ea negetur est in promptu, quia non eadem est ratio vtriusque, scilicet vitæ perennitatis, & diuturnitatis. Nam vita diutnrna esse potest, perennis autem nequaquam, quia vita est terminata, vt terminata sunt cætera sublunaria, vnde perennis esse non potest, licet aliquandiu valeat produci.

Ad illam comparationem vt se habet magis ad magis, dicimus intelligi posse tam de forma, quàm de materia, si de quantitate materiali & vitæ duratione naturali intelligitur, vt intelligi potest, solum vera est in ea specie quantitatis respectu materiæ, quæ non haberet contrarium aduersum, & repugnans, & corruptionem ab intrinseco adducens, quod in vita non est reperire, quandoquidem non solum compositum, & mixtum corpus causas habet corruptionis intrinsecas, vt supra dictum est in sexta ratione Primæ Sectionis, sed etiam ipsa vita. Reliqua nostram hanc solutionem magis confirmant, & muniunt.

Ad nonam Rationem Concedimus vitam esse mensuratam vsque ad terminum suum, & qualis est mensura, tale esse mensuratum. Vnde vt mensura est lata, & indeterminata, sic etiam mensuratum, cum ei fuerit mensura

applica-

applicata, quod si mensura certa sit, & definita, definitum quoque erit mensuratum. Cum ergo vita tempore rerum omnium mensura lata, & ampla mensuretur, inter mensuram poterit extendi, non vltra, si vero mensuraretur mensurata, & firma nequaquam vltra posset produci, & huiusmodi sunt omnia, quæ cœlo continentur mensurata. Vnde vero hanc mensuræ diuisionem accipio, si quis quærat, Aristotelem illi in medium proferam, nam in decimo Met. te. 3. & 4. ponit vnum genus mensuræ, quæ sit indiuisibilis, aut secundum se, & simpliciter, aut secundum institutionem, eodem pacto producam ego aliud genus mensuræ non indiuisibilis, aut simpliciter, aut secundum institutionem, & hanc ponam in vitæ termino, qui si mensuretur mensura indiuisibili, non potest vlterius protrahi, si vero mensuretur mensura diuisibili secundum institutionem, & beneplacitum sapientum, potest vltra produci, & hanc mensuram alij latam appellant, vti frequenter est videre in toto hoc opusculo.

Ad decimam Rationem vita non potest esse perpetua, quia licet anima rationalis possit de se, idest sua natura informare æterno tempore, cum sit immortalis, & æterna attamen ea etiam nolente, & inuita potest corpus humanum eius organum alterari à caussa aliqua intrinseca, vel extrinseca, etiam à medicina, & ita illo alterato poterit vita prorogari, aut breuiari, vt forma quælibet beneficio artis potest longiori tempore permanere in materia, repugnat igitur ex parte corporis, & totius compositi, non ex parte animæ, vt vita non possit esse sempiterna, quia vita non sequitur corpus solum, neque animam solam, sed quod ex ijs factum est, idest compositum, quod simul cum corpore subiacet putrefactioni. Vnde bene Arist. primo Met. te. 7. & 7. Met. te. 27. omne compositum ex materia, & forma est diuisibile, & consequenter in

sua

sua principia resolubile, vt habetur primo phys. te. 65. & 3. Met. te. 15. & 3. de cœlo te. 15.

Ad vndecimam Rationem posset in primis negari causam, & effectum debere esse proportionales.

Primo, quia non conueniunt in vna essentia vt ostendit S. Thom. secunda secundæ, quæst. 58. ar. 6.

Secundo, quia causa differt à suo effectu specie, & idem ait in secunda sent. dist. 18. quæst. 2. ar. 1.

Tertio, quia causa principalis est suo effectu nobilior vt idem asserit, prima secundæ, quæst. 66. ar. 6. & secunda secundæ, quæst. 148. ar. 3. & quæst. 165 ar. 2. Cæterum Conciliator propositionem esse veram putat in causis tantum vniuocis, immediatis, ordinatis per se ad eundem effectum producendum, quales quia non sunt superiores respectu inferiorum, inferiora ab illis maximè distant, & propterea sunt transmutabilia, & corruptibilia, ideo libro de mundo dicitur Deus, qui est prima causa rerum omnium, secundum poetas residere in supremo vertice vniuersi, & secundum Aristotelem in 12. Met. in circumferentia supremi circuli, in quo maximè apparet virtus eius, ea vero, quæ supra terram sunt, nimis distant à commodo diuino, propterea sunt infirma & plena multi turbinis, cuiusmodi est hominis vita, & quo magis effectus aliquis distat à suo principio, eo magis deficit, & quo magis est illi proximus, eo magis est perfectus, vt patet in toto ordine vniuersi à primo cœlo ad media, & ad vltima vsque ad terræ elementum, illud enim primum est, & simplex, & immobile, incorruptibile, reliqui recedunt à primi cœli simplicitate, & immobilitate, vnde sunt ex varijs orbibus compositi, & mobiles, sublunaria vero & composita sunt, & maximè mobilia, immo & corruptioni maximè subdita, & propterea Aristo. te. 66. secundi de cœlo illud est melius, quod est optimo propinquius.

Dici etiam posset effectum non assimilari causæ primæ &

vniuersali, sed causæ secundæ, & particulari, quia quicquid recipitur per modum recipientis recipitur, cum ergo vita causas habeat determinato tempore deficientes, etiam illa temporis interuallo finietur. Vnum hic velim aduerti quandoque causam instrumentalem participare virtutem principalis causæ agentis, vnde illi fit aliquo modo similis, & effectum agit illi similem, idcirco colligitur ex Gal. in 4. de vsu partium cap. 17. loquente de intestinis, illa habere vim digerendi cibum virtute ventris, sicuti venæ habent vim transmutandi sanguinem virtute hepatis, licet intestina non sint organum digestionis, neque venæ organum sanguificationis.

Ad duodecimam Rationem negatur in primis principium vitæ, & statum, & alia vitæ tempora esse determinata, nam quædam tempora citius incipiunt, quædam tardius, & sic etiam pari ratione ad statum perueniunt, quædam celerius; quædam pigritantius, quædam prius, quædam posterius, vt etiam quædam acceperunt esse longius, clarius, & perfectius, quædam vero breuius obscurius, & imperfectius.

Ad decimamtertiam Rationem Gentilis loco citato satisfacit hoc pacto, quod scilicet continget tunc mors naturalis, quæ euenire deberet ex complexione sua, & habitudine suarum qualitatum, sed illa mors ex aspectu cœli est accidentalis, & potest prohiberi, vel quod fiet ea mors, quæ habebit fortiorem causam, non autem ea, quæ infirmiorem, & impotentiorem, quod autem causa fortior vincet, oritur, quia ex malitia dispositionis indiuidui potest esse aptitudo ad rupturam venæ, quæ omnino fiet causa adeo firma, & valida, atque hoc totum intelligendum est intra terminum latitudinis vitæ speciei humanæ, intra quem vnus, & idem homo potest citius, & tardius mori aliquo euentu.

Ad decimamquartam Rationem maximum, & minimum

mum vitæ dantur intra terminum speciei humanæ, non vltra, vt supra, & vt raro indiuidua attingunt maximam magnitudinem, ita etiam raro vita producitur ad suam maximam quantitatem, & hoc vi medicinæ efficitur frequentius, atque hoc probant omnes illæ rationes in contrarsum factæ, vt ibi manifestius apparet.

Ad decimamquintam Rationem Solutio patet ex superioribus de vltimo termino à Deo præuiso, vltra quem non est progressus, vnde sequitur quod Deus non fallitur, nec est mutabilis, nam cum contingentibus contingenter concurrit, cum necessarijs vero necessario, vt diximus in fine solutionis quarti argumenti, & manifestum est in toto ipsius rationis discursu.

Ad decimamsextam Rationem Conceditur omnino humidum radicale non posse semper in melius restaurari, quam fuerit deperditum, aliquando tamen pro aliquo temporis curriculo potest, vt bene docet Concil. differentia 112. & illationes illæ tres priores idem omnino demonstrant, quod defendimus.

Ad illud de ignis collatione etiam in tertia probatione, dicimus comparationem illam lignorum ad ignem, sicuti ciborũ ad calidum naturale non valere, nam ignis cum suã formam inducit in lignum, non est idem ignis, sed alius, & alius, vt alia, & alia sunt combustibilia, quæ apponuntur.

Et si quis dixerit Galenum sexto de plac. Hip. & Plat. capitulo sexto, dicere quod quemadmodum ignis ex ligno in similem sibi formam mutato, & generationem simul, & alimentum accipit, ita etiam plantæ, & animalia sibi ipsis simile alimentum reddere conspiciuntur, quod vel ex semicoctis excrementis licet colligere, quæ similia subinde fiunt corporibus, quæ aluntur, quorum scilicet sunt excrementa hæc Gal. ergo eadem est ratio hac in re ignis ac plantarum & animalium.

Respondeo negando Cons. quod enim dicitur de igne

est tantum secundum similitudinem verum, qui impropriè nutritur, quum nutritio sit animæ alentis opus, at ignis est inanimatus, præterea illud refert Gal. ex sententia Erasistrati loquentis de origine venarum: vnde ait Gal. paulo naturalior est hæc dissertatio, auditoribusque indiget, qui in naturalium facultatum rationibus prius fuerint exercitati, nam ex Gale. 6. de plac. hip. & plat. cap. 8. quod nutrit, in eius, quod nutritur, naturam substantiamq; immutatum abire debet, quod non est ita verum de igne, qui varius & varius est, vt varia & varia sunt combustibilia; quemadmodum prius dictū est, at calor naturalis non mutatur in aliū ex ciborum appositione, sed idē prorsus remanet, verum aliquando auctus, & aliquādo diminutus, nam si conuerteretur in alium, non esset idem calor naturalis, sed alius artificialis, qui industria medicorum esset effectus, & implicat esse calorem naturalem, & fieri ope, & arte medicinæ, vel alimenti additione, immo ipsum alimentum nunquam potest esse ita calore tēperatum, vt foueat calorem naturalem diuturnius, aut perennius, præterea cum calor naturalis sit potentia quædam, vt omnes aliæ sublunares, finita, dum agit in humidum semper exhalat, & exhalat eousque tandem, quo deficiat, sicuti enim datur calor naturalis, ita datur homidum radicale, vel naturale, quæ sunt ad inuicem sic proportionata à natura, vt tanta sit virtus actiua vnius, quanta sit virtus resistens alterius, cum vero resoluitur humidum à virtute caloris naturalis, tunc partes humidi subtiliores euaporant, & relinquuntur crassiores, vnde videmus membra durescere, quousque perueniant ad suam consumptionem, & impossibile est quamuis cibi apponantur in proportione, vt non euaporent partes illæ rariores, & hæc est causa, quare morimur, quia deficit humidum radicale, aut resoluitur calor naturalis, aut etiam opprimitur, si humido vincatur, & ideo philosophus in paruis naturalibus dixit ca-

xit calidi corruptionem bifariam contingere, vel à se ipso videlicet propter pabuli absumptionem, vel à contrario scilicet propter eius extinctionem, & illam appellauit marcorem siue marcedinem, senectutem, ac ariditatem, hanc vero extinctionem, & violentiam, vnde Arist. 4. Met. cap. 2. omnis inquit secundum naturam corruptio, vt senectus, & ariditas, via est ad putrefactionem, quæ contrarium est maximè simplici generationi commune, finis enim omnium marcedo, nisi aliquid violentia corruptum fuerit natura constantium, quare vt generatio diditur natura, quia est via ad naturam ex Arist. 2. physic. te. 14. ita senectus, & ariditas putrefactio, quia sunt via ad putrefactionem, nam quamuis putrescentia primo humida fiant, fiunt tamen deinde sicca tandem ex Aristo. 4. Met. cap. 2. vnde à fine denominantur, tanquam à potiori, vt etiã motus à termino ad quem accipit vnitatem, & distinctionem, 5. phy. te. 31. & natura ignobilis sequitur naturam nobilis & digni ex Auer. 4. de gen. anim. in fine. Ad hanc etiam ignis, & caloris comparationem aliter respondet Conciliator, calor ait animalium non est simplex elementaris, infatigabilis, vt est ignis, sed est compositus, & ideo corruptibilis, vnde Arist. 2. prob. prob. 38. natura caloris, quæ nostra proueh.it corpora, vt nihil per decliue laborat, sic per accliue præssa onere nititur. Quod autem dicitur vt se habet parum ad parum, iam responsum est, & adhuc respondetur non valere quia datur terminus in his rebus inferioribus, quod si demus aduersarijs aliquando humidum fieri posse melius pro duratione vitæ, id fiet extensiuè, non intensiuè, intra terminum, non vltra.

Ad quartam probationem, quæ est Galeni de partibus primis, & solidis secundum Thomam de Garbo dicitur Galenum intellgiere de ossibus, quæ non possunt ad tactum fieri humidiora, ex humiditate nutrimentali stante in vacuitatibus ossium, propter eorum duriciem, at caro,

& pin-

& pinguedo possunt. Quod dicitur de marasmo intelligitur, quod cum marasmus est perfectus non potest curari verè, & propriè, vnde Gal. decimo, Meth. cap. 10. quem marasmus planè occupauit hunc sanare non tentaueris.

Ad illud de siccitate ætatiua dicitur, quod licet non possit omnino prohiberi, tamen senectus extendi potest vt Gal. libro, de tabe. cap. quinto, nisi tamen ad vltimum deuenerit, vt etiam marasmus planè hominem occcupans propriè non debet curari.

Ad quintam, & sextam, quæ consequitur, dicitur verum esse vsque ad aliquid, nam facilius est destruere, quàm constructere posse. Sed non ita potest à medico humidum radicale reddi, quod vna potentia separetur ab alia, videlicet potentia naturalis ab animali.

Ad illud autem de oppio, dicitur oppium priuare potentiam ab actu secundo inducendo frigiditatem in parte, non autem priuat potentiam ab actu primo, de oppij natura, & qualitate, legatur Auer. 5. colliget. c. 27. vbi multa contra Gal. & medicos.

Ad decimamseptimam Rationem Complexio naturalis potest permutari in meliorem intra terminum speciei, qui habet latitudinem, non autem extra terminum speciei. Ea autem permutatio potest accidere secundum Auicenna in prima primi, capitu. de complexionibus. Primo propter clima. Secundo propter materiam. Tertio propter agens. Quarto propter ætates. Quinto propter cibos. Sexto propter exercitia. Septimo, & vltimo propter sexum, vt supra etiam relatum est argumen. 13. Secundæ Sectionis, eædem sunt causæ corruptionis.

Ad primam probationem dicitur naturam esse quidem ad vnum determinatam, verum non mathematice, sed physice.

Ad

Ad illud de transitu, quod est secunda probatio ant. dicitur, quod transire per medium in via, & in instanti non est absurdum, esset autem si permanenter, nam in via & in instanti complexio potest esse omnino perfecte ad pondus æqualis, vt Galenus primo de temp. cap. 4. quod secundum permanentiam non concedit idem Gal. primo, de temp. cap. primo, immo complexio æqualis, quæ ad iustitiam dicitur, licet sit permanens, est tamen secundum sensum, non autem absolutè, & perfectè æqualis, verum est tamen quod hæc permutatio complexionis secundum Thom. de Gar. in quæstionibus quæstione 13. ad dub. primum non fit, nisi in longo tempore, quo tempore transacto, licet illud corpus sit melioris humidi radicalis, quàm fuisset in eodem tempore si permutatum non fuisset, non tamen est melioris humidi radicalis, quàm ante restaurationem, quia humidum radicale alicuius complexionis melioris in aliqua ætate posteriori deterius est ad vitam, quàm humidum radicale complexionis peioris in priore ætate. Quod si aliquis alicui scrupulus innijciatur ex dicto Thoma de Garbo quod complexio non possit mutari nisi in longo tempore, atque ideo videri vitam non posse prorogari, quoniam vita intra temporis illius spatium deficiet. Is sibi hunc scrupulum eximat, ex longo tempore non argui impossibilitatem, sed difficultatem ad vitam prorogandam, nam dum fit mutatio complexionis, quæ iuuant ad illius mutationem, iuuant etiam ad vitæ prolongationem. An autem fit vlla complexio temperata secundum alsqua tantum extrema temperantiæ vt posuerunt aliqui, dubitant non pauci, & quibusdam videtur impossibilis ex secundo de gen. te. 48. & primo de cœlo. te. septimo, & decimo Met. te. 23. legatur etiam Auer. in secuudo collig. cap. vltimo.

Ad

Ad Tertiam, & Quartam alias probationis particulas. vnum indiuiduum non potest assimilari alteri indiuiduo omnino, & in facto esse, & in eodem gradu, sed in fieri nihil prohibet, quia etiam corpora cœlestia ad hoc concurrunt, sed harum constellationum est semper diuersa ratio. Additur etiam quod complexio indiuidualis habet latitudinem, vnde ad prolongandam vitam huius indiuidui non est necesse ipsum extra latitudinem mutari, sed sufficit moueri ad meliorem dispositionem in sua latitudine possibilem.

Ad decimamoctauam Rationem Abbreuiatam vitam ab eo, quod antiquitus fuerat nunc breuiter asserimus, instituturi hac de re quæstionem nostram peculiarem in opusculo de hominis nobilitate, quod præ manibus habemus multis vigilijs confectum, què in lucem iam iam sumus emissuri. Hinc quoque manifestum est, alimenta non eam conferre substantiam corporibus, quam olim præbebant, nec plantas pristinam virtutem conseruasse, vnde fiunt medicamenta, & alia, quæ inde consequuntur.

Ex his habentur horum omnium argumentorum negantium solutiones, accipiantur nunc affirmantium.

QVIN-

QVINTA SECTIO DISPVTATIONIS.

EX alto, & immenso pelago, quo hactenus iactabamur, iam terrã appræhẽdere videmur. Hic est vltimus nostri operis labor, Argumentis & Rationibus Secundæ Partis contrarium adstruentibus satisfacere.

Ad primam igitur Rationem facilis est responsio, & supra iam tacta, medicinam posse prolongare vitam hominis intra terminum latitudinis speciei, non autem extra illum; nam cum peruentum fuit ad terminum vltimum à Deo præcognitum, frustra laboratur à medico, & vana est omnis medicinarum virtus, ac potentia, neque enim tunc putrefactio prohiberi potest, vt Hippocratis factum arguebat, neque impediri resolutio humoris insiti, vt scriplit Auicenna, neque vt stare perpetuo possit complexio effici, atque hoc in vltimo vtriusque dissolutionis termino verum esse, nullus inficiabitur. Atque ista distinctio terminorum intra, & vltra talis, & tanta est, vt extinguat vim omnium aliorum argumentorum, ideo ea est mandanda memoriæ, quia nihil potest obijci, quod hac distinctione non dissoluatur.

Ad secundam Rationem Corpus saluberrimum, & optimè sanum ex sua prima constitutione indiget medicina, ne ab illo optimo statu deturbetur, & vt à rebus contrarijs defendatur, intra terminum tamen latitudinis vitæ speciei, non extra, quod nullus est, qui non videt, quare dato per impossibile, huiusmodi corpora reperiri bene constituta, tamen non potest negari, quin possint affici male ab ambientibus contrarijs, aut ex aliqua repletione, aut alio euentu, quo medicinæ facultate opus erit, non enim corpus nostrum est vt Adamas ex Galeno.

Ad tertiam Rationem Fatemur vitam non posse proro-

gari, neque corpus humectari, & partes eius, vt volebat Galenus extra terminum, intra terminum vero negamus & hoc etiam significat Gal. vt videre est in oppositione, & responsione illarum quatuor principalium obiectionum.

Ad quartam Rationem, vt ad superiora est responsum, & Hali, quamuis Astrologus, non est ita mentis inops, vt extra terminum produci posse asseruerit, immo ipsi Astrologi præfigunt vitæ terminum singulis secundum cursum stellarum, quibus corpora subdita nascuntur, quod quàm vanum sit Constitutione sua docuit Santissimus D. N. D. Sixtus Papa Quintus.

Ad illud de medicamentis, prohibent quidem causas, idest frigiditatem, & siccitatem, sed id efficiunt intra periodum definitam, non extra, intra quam etiam prohiberi potest, ne aliqua pars citius exiccetur.

Ad quintam rationem eodem pacto, vt ad superiora, & ad illud de Ezechia, dicitur quod stante morbo, & illius causis secundis moriturus erat, sed vixit vlterius propter potentiam Dei absolutam, sed concedamus illi Rabino vt alicuius medicinæ esse sanatum, tamen virtus illa fuit miraculosa, non naturalis, & ita dicere est incidere in primum dictum, Dei virtute conualuisse, & tot annis superuinxisse, Deoque hac in re miraculum faciente, vt miraculum etiam fuit solem a suo cursu desistere sicuti dicitur in libro Iosue cap. 10. & retrorsum decem gradibus ferri, vt 4. Regum. cap. 20. accedit etiam quod illa medicinâ fuit à Deo reuelata, quinimmo, vt manifestius appareret miraculum ex aliorum Rabinorum sententia, contraria etiam erat morbo Ezechiæ.

Ad sextam Rationem patet ex allatis in superioribus responsionibus, quod diu vixerint illi viri intra terminum vitæ speciei concessum, in quem terminum bono vitæ regimine peruenerunt, & ideo vnus illorum interrogatus, qua ratione diutius vixisset, intus multo, foris oleo, respondit,

spondit, foris enim prohibebat pororũ ianuas olei vnctione, intus vero calorẽ naturalẽ adiuuabat mulsi potione.

Ad septimam Rationem de morte ex aliquo casu proueniente, & naturali, vt distinguunt quidam, dicitur quòd si intelligunt mortem naturalem posse arceri intrà terminum vitæ speciei humanæ bene dicunt, si aliter sentiunt, toto cœlo aberrant, nam secundum nostram sententiam terminus naturalis in sua latitudine potest prorogari, non autem vlterius, eadem responsio Virgilij dictum infringit, quod si per fatum aliud accipiant ab eo, quod est naturale, & naturæ institutionem, & ordinem sequitur, cecutiunt omnino, legatur lucidissimus Them. super quinto physic. te. 57. & Alexandri liber pulcherrimus de fato inscriptus, vbi pulchrè colligit ex sententia peripateticorum fatum à natura non differre, vt etiam videtur insinuare Virg. 4. Aeneid. de morte Didonis.

Ad octauam Rationem vt ad supradicta, intra terminum illa omnia posse, non extra vi medicinæ fieri, & medicorum industria.

Ad nonam Rationem Deo nihil possumus negare, vnde nec illi negabimus vitæ prolongandæ potestatem, vt multis ex locis sacrorum voluminum colligi potest, & auctoritates hoc nono argumento allatæ manifestè confirmant. Nec inde sequitur vanam esse promissionem Dei, si promittit idem tempus viuendi naturale, nam ex sacris literis habemus malefacientibus vitam breuiari, quod fit in pœnam malefactorum, vt bene facientibus produci in præmium benefactorum, & rerum bene gestarum. Ita Iob. 22. iniqui sublati sunt ante tempus suum Ecclesiast. c. 8. Non sit bonum impio, nec prolõgentur dies eius, & Psal. 54. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos; & Psal. 77. Defecerunt in veritate dies eorum, & anni eorum cum festinatione, vt alia multa præteream.

Dicet aliquis quorsum Medicus, aut Philosophus cum

tu sis, argumenta transfers in tuum opusculum a scripturis, & rebus supra naturalibus petita.

Respondere possem non repugnare quo minus Philosophi possint trahere argumenta à rebus super naturalibus, & sacris voluminibus, & ea miscere cum naturalibus, nam res aliquando ita videtur expoſcere, vt tam naturalia, quàm supernaturalia afferrantur ad rem aliquam omnino definiendam, aut muniendam.

Dicet iterum Medici, & Philosophi tenentur ne respondere argumentis, quæ procedunt ex principijs alterius scientiæ. Minimè vt dicitur primo physic. te. 8. Immo non est transcendendum de genere in genus ex primo post. te. 23. & ad Theologos hanc de miraculis quæstionem, & solutionem pertinere verum id esse, non diffiteor, cæterum omni artifici licere interdum memorare, & recognoscere mirabilia opera sui creatoris, nemo ibit inficias, vnde Auen. primo Theis. tr. 2. cap. primo in fine cum ageret de fractura panniculorum cerebri, refert quendam habentem piam matrem fractam à Deo summa potentia, & sapientia posse quidem liberari, nullo autem modo à medicis, nam secundum Auen. fracta illa vltima pellicula panniculi cerebri, impossibile est hominem naturaliter viuere, Sed istam Auen. rationem nullam esse, recentiores experti sunt, nam etiam si cum craneo frangatur dura simul mater, immo quod magis est, etiam si pia mater læsionem aliquam patiatur, adhuc possibile est huiusmodi homines liberari, ex quo fit, vt falsum quoque sit illud eiusdem dictum, modernos esse insufficientes ad liberandos homines à capitis læsione cum fractura cranij, & duræ matris, ac etiam cum pia mater læsionem habuerit, & quod huic malo medicinam vllam se velle adhibere non intendere protestatur, tanquam læsioni immedicabili.

Quod si quis dixerit Hip. lib. de vulneribus capitis iubere, & præcipere vulnera capitis non esse aperienda, &

cranij portionem non esse auuellendam, ne inde sequatur maximum nocumentum, & etiam tandem mors ergo non videtur Auenzoar redarguendus, cum loquatur non solùm de cranij apertione, verumetiam de fractura duræ, & piæ matris.

Respondetur dictum Hip. tunc esse verum, cranium videlicet non esse aperiendum, quamuis aliqua ratione sit affectum, quando vulnus est leue, non profundum, ex quo nihil ad membranam est confluxurum, & nullus, vel paucus admodum adest, vel futurus est vapor sani ei, neque fuit maxima concussio, vel contusio cerebri in percussione, vnde non debemus timere seuissima accidentia, & timorosa esse ventura, vt est delirium, subeth, lethargus, epilepsia, conuulsio, paralysis, & huiusmodi, si enim nunc cranium aperiretur de industria à medico periculum, quod prius nullum erat, egro intenderetur, lacerato videlicet perieranio, vulnusquè subsequenter faciendum à medico ad prioris morbi curationem, maioris esse potest momenti quam vulnus præcedens, & malum, quod à medico curari per se intenditur, vnde dicere possumus si frustra fit per pluta, quod per pauciora æque tamen bene, ergo multo magis si commodius, facilius, tutius, & vtilius, cum enim pericranium sit sensus exquisitissimi, fient tunc maximi dolores, vnde maximæ attractiones materiæ, virtutis resolutiones, febres, & propter eius societatem cum membranis, grauia symptomata excitabuntur, pericranium enim firmiter cranio adhæresçit, & e ligamentis à dura mienynge producitur, præsertim qua parte suturæ conseruntur, tunc etiã cum caloris natiui sedes detegatur, ipse dissipabitur, & cerebrum discoopertum, cum sit frigidum, alterabile, passibile, ex apertione cranij magis & facilius ledetur ab ambiente, & multo minus esse secto membrana debet detegi, ne refrigeratio vulneris, ossis, & ipsarum membranarum insequatur, quæ grauissimorum symptomatum-

ptomatum est maxima occasio.

Sed dictum Hip. tunc quidem non debet obseruari, verum cranium debet in vulneribus, & capitis confusionibus aperiri.

Cum videlicet cranij fracti adsunt signa, & statim ab initio planum est os esse ita fractu, vt sanguis descendat, aut membranam vtgeat, aut saniem colligat, cui non pateat exitus, vel etiam si aderint signa sanguinis effusi in membranam citra ossis fracturam, vt in concussione cerebri plerumque euenit, nam cum aliquid ad membranam confluit, hic est vnicus siue principalis sectionis scopus, secundum aliquos, præterea si aliquid sit ruptum in membranis propter magnum capitis, vel vulnus, vel contusionem, vel etiam cranij fracturam, nam quandoque aperiuntur venæ, arteriæ, & sanguis fluens extra venas, vertitur in grumum, & putrescens causat pessima symptomata. Amplius cum membranæ comprimuntur, etiam cerebrum ipsum, ac eius ventriculi cũ alijs partibus maximè afficiuntur, & propterea latentium fracturarum signa à diligentissimis medicis debent optimè cognosci, quorum quædam pertinent ad patientem, quædam ad agentem, quædam ad instrumentum ipsum, quæ tum quoniam non sunt huius præsentis operis, tum etiam breuitatis gratia hic non putamus esse perscribenda.

Hip. autem illis verbis non tam vult id omnino negare, quàm nos admonere, non in quolibet vulnere capitis, & eius fractura, & contusione esse cranium aperiendum, sed tantum in vehementibus, idque faciendum cum maxima præmeditatione, diligentia, cautela, ac protestatione de periculo ægrotantis, & hoc est eius verum, & germanum documentum.

Vel etiam voluit significare Hip. vulnus capitis vt tale est, non per se indicare cranij apertionem, sed quandoque non solum repugnat, sed etiam maximè ei conuenit, vt in

eius

eius magnis vulneribus, fracturis, ac contusionibus, & casibus iam dictis, immo etiam id fieri debet in casibus dubijs præsertim cum accidentia seua incipiunt apparere. Neque ex hoc vllum sequitur inconueniens, constat enim nonnullos sine portione cranij, immo etiam cerebri vixisse, & adhuc viuere, quod redarguit dictum prius Auenzoaris; vt etiam Arteus iubet, in epilepsia cranium terebello perforari, vt dicetur paulo post, Sed maximum inde sequitur commodum, & iuuamentum, sic enim materia melius expurgatur, tollitur compressio menyngarum, quibus affectis fiunt symptomata pessima, medicamēta melius ad locum perueniunt, sumus certi etiam de qualitate, & quantitate læsionis, vnde facilius, ac melius non solum mederi, sed etiam pronosticari possumus; quare cogente malo debet caput ferro dilacerari, habita tamen ratione cranij, caloris natiui, & menyngum, quarum noxa celeriter cerebro communicatur.

Addit etiam illud Christiano homine dignum Aaenzoar primo The. tr. 2. cap. vnico in fine, quod ideo refero, vt quisque Dei prouidentiam cognoscat, & prædicet, sicuti inquit, ex gratia Dei esse cognoscitur illi, cui in tali necessitate, hoc est in fractura cranij, aut alterius eiusdem conditionis, perfectus medicus aduenerit, vt ipsum liberet, sic ex sententia diuina est, quando alicui superuenerit imperitus, vt inde moriatur, quod ego etiam in alijs morbis verissimum esse mihi persuasi, & nunc magis persuadeo, sed de his hactenus.

Ad illud de cœlestibus orbibus, respondeo verum esse conferre ad diuturnam vitam intra latitudinem illius, vt sæpe dictum est.

Et hoc idem pari ratione dicitur de Medicina quod præstet in extremis, ac seuissimis illis dictis affectibus, & similibus, Cæterum apoplepsiæ, & epilepsiæ est tanta vis, acuties, ac timor, vt ad summa etiam auxilia, (vt in extremis

mis morbis fieri solet,) præter alia, deueniri possit, ac debeat, cum enim sunt in paroxismos ægrotantes ex Raf. 9. alm. cap. de appoplexia galea ignita applicanda est eorum capitibus, donec comburantur capilli, etiam cutis capitis ferro ignito cõburenda est ex Aret. c. de Epip. varijs videlicet in locis, tum sincipitis, tum occipitis, circa quidem suturas, vel secundum aliquos in ipsis etiam futuris, alijs tamen reclamantibus, quamuis non sit prætercundum hoc loco, os in futuris posse non solum perforari, sed quoque auelli, præsertim cum propter morbum gallicum, vel aliam causam, os est corruptum, tum ne augeatur putrefactio, tum ne membranæ, & aliæ partes afficiantur, tum vt eo ablato remoueatur capitis grauitas, & dolor, vt quibusdam hactenus bene successit, tum propter alias causas, valent autem futuræ, capitis ad quandam cerebri expurgationem, præter alia loca, vnde qui futuris carent, ij etiam morbis capitis facilius afficiuntur, impedita nempe quadam excrementorum cerebri euacuatione, nam vt ad construendum requiruntur omnia, ita ad destruendum sufficit vnum, vt etiam si habere futuras confert sanitati cerebri vt patet, ergo non habere eas, destruet eius sanitatem, si enim affirmatio est causa ipsius esse, negatio est causa ipsius non esse, non enim frustra factæ sunt à naturæ. Amplius cauterium, immo plura cauteria actualia in his casibus fieri debent in dictis partibus, an autem etiam in phreneſi cauterium in sapite conueniat, alij iudicent, præterea quoque aperiendum est os capitis, etiam vsque ad duram matrem ex Areteo c. de Epil. dicente, Opus est etiam ignem capiti inferre, proficit enim; in primis os perforare vsque ad secundam laminam oportet, deinde ceratis, cataplasmatisq; vti, tantisper, donec membrania ab ossibus recessserit, Terebra nuda ossa circuncidere conuenit, acti paulum resistant, vsque ad spontinam auulsionem persequerandum quousque nigra nonnunquam ossorum,

rum, & crassa membrana inuenta fuerit, hæc Aret.

Et hoc idem secundum aliquos potest fieri in melancholico affectu.

Et si quis dixerit Hip. negare aperturam cranij in vulneribus capitis, ac fracturis, & contusionibus.

Quid ad hoc sit dicendum perquiratur paulo ante in solutione quoque huius nonæ rationis Secundæ Sectionis.

Neque ad caput propterea ex alijs partibus corporis materia attrahetur vi caloris, doloris, siue vacui, si precesserint, & etiam subsequantur fortia diuertentia per clisteres acutos suppositoria, frictiones, & huiusmodi; ad hæc si tendente catarro calido, subtili, ad pectus conferunt actualia cauteria in sincipite, & in sutura coronali, secundum aliquos, cur non etiam cauteria, & ignitiones in capite possunt fieri in dictis affectibus, accedit etiam quod si Galenus 5. Met. cap. 5. non timet immo censet; (Alexandro tamen Traliano repugnante) maximè conferre in catarro calido, subtili acuto, & bilioso applicationem thapsiæ in capite, quæ hærens capiti continuo caput ex calefaciendo, & exicando auget calidam, & siccam illius intemperiem, quæ causa est dicti catarri, cur actualia cauteria sunt à nobis timenda; cum parum adherat capiti actualis eorum calor? tandem his auxilijs in his affectibus frigidis materialibus tanquam per contraria curamus respectu qualitatum primarum, & secundarum, materiæ euacuandæ, diuertendæ, deriuandæ, loci corroborandi, & virtutis, quæ cum sit sopita mirum in modum excitatur, & cum sit oppessa à multa materia frigida, crassa, viscosa, inbibita in cerebri partibus, & ipsas valde obstruente, ex obstructionum ablatione, releuatur, præterquam quod dolor, qui inde causatur, non solum est paruus, & pauci temporis, sed etiam aliquando nullus, cum insensibiles penitus iaceant tales ægrotãtes, & tanquam mortui per-

maneant quandoque, & quod hac ætate transacta Macer-
ratæ sic mihi bene successit in puella quadam septem an-
norum existente in actuali & quidem grauissimo paroxis-
mo epilepsiæ, sed hac de re alias.

Ad decimam rationem dicendum est, vt supra, non esse vanam medicinam, sicuti nec vanæ sunt artes aliæ, si finem suum semper non assequantur, nam ex Arist. 1. Top. cap. 2. neque Rhetor omni ex modo persuadebit, neque Medicus sanabit, sed si ex ijs, quæ contingunt nihil omi-serit, sufficienter medicinam habere dicimus. Hæc Arist. ex quo fit, vt nonnulli voluerint medicinam esse conie-cturalem, & non verè scientiam, verum vt certum est ip-sam esse practicam, sic falsum est non esse scientiam, cum omnes causas consideret vniuersales, particulares, remo-tas, propinquas, communes, proprias, externas, internas, mediatas, per se, per consensum, immediatas, ac coniun-ctas vt vocant, seu coëquales, & coëuas, quibus sufficien-ter positis ponuntur effectus, nisi sit impediens, & remotis remouentur, si quidem effectus ab eis dependeant in esse, fieri, & conseruari, & propterea circa hanc medicinalem methodum tunc scire vnumquodque putamus, vt in alijs scientijs, cum causas primas, principia prima, & vsque ad elementa cognouerimus, ac ad immediata resoluerimus, non enim quis sciet in hac, vt in alijs, nisi ad immediata resoluerit ex Arist. primo post. vt patet consideranti libros de differentijs, & causis morborum, & symptomatum, nec non librum de constitutione artis, præter alios aureos li-bros Galeni, & præsertim, quia vt morborum cognitio ex illorum causarum cognitione dependet, sic eorum cu-ratio ex causarum remotione, & vt ex definitione morbo-rum eluescunt eorum proprietates, sic etiam curandi in-tentiones, vt enim in speculabilibus definitio est caput scientiæ, sic in operabilibus est principium operationis, na tura enim rei est, quæ docet an agendum, quid, quantum,

quando, quomodo, vbi, vt etiam quid ante quod, quid cum quo, quid post quod, & huiusmodi, vt etiam quis affectus cum quo, quis sine quo, quis post vel ante quem curari valeat, ac debeat, verum hæc sufficiant, hac enim de re in nostro libro de principijs medicæ, siue de medima & medico exactius fumus pertractati. Cæterum satis est medicinæ vt vana dici non possit, si suo fine potitur intra terminum, intra quem non raro medici reuocant corpora in pristinum statum salutis, & hoc ipsum multi ex sacris doctoribus affirmant, esse videlicet medicinam hominibus necessariam, tantum abest quin vanam prædicent, & inutilem, legatur D. Hier. super illud Isaiæ cap. 38. Ego occidam, & ego viuere faciam, ego percutiam, & sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere, vbi dicit medicinam nó esse parui faciendam vnde in Ecclesiast. cap. 38. Honora medicum propter necessitatem enim creauit illum Altissimus, & quæ sequuntur, nam quamuis certissimè sciamus neminem vltra terminum à Deo sibi præfixum esse victurum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur. Hoc ipsum copiosissimè pertractat D. Ant. Florentinus in tertia parte summæ tit. 7. c. primo. Addi etiam possunt quæ scribit D. Gregor. in enarratione illius loci Iob. 14. Constituisti terminos eius, & alterius etiam loci Iob. 22. eiusdem operis iniqui sublati sunt ante tempus, vbi multa in eandem affert sententiam.

Ad vndecimam Rationem Vitam in humidi & calidi proportione consistere Medici, & Philosophi testantur, sed eam posse conseruari proportionem, non extra, sed intra terminum, ijdem fatentur, frustra enim tunc, & humidum sustentans intromitteretur, aut superfluum corrumpens educeretur, vt ibi dicebatur, immo conseruare ipsum humidum radicale intra terminum, est satis arduum, ac difficile, quia cum vitæ naturalis mensura sit secundum mensuram humiditatis radicalis in quolibet

indiuiduo proportionato proportione dupli, fieri vix potest vt dupla seruetur proportio, videatur fusius Aristo. eiusquè commentatores in lib. de longit. & breu. vitæ & Auct. 3. colliget c. 11.

Ad duodecimam Rationem humidum, radicale potest reparari, non tamen vltra terminum præfixum, sicuti calor naturalis, vnde ille Elephanticus, vt etiam ille hecticus dicitur fuisse sanatus intra proprium vitæ finem, non vltra.

Ad illud de partibus Gal. libro de Tabe. c. 5. quomodo possint humectari, & quando dictum est in ratione tertia Secundæ Sectionis.

Addendum tamen adhuc est, per cibum, potum, balneum, lectum, somnum, & huiusmodi posse humectari quidem cor, & hepar, ac vniuersaliter totum corpus ex Gal. lib. de Tabe. cap. 5. videlicet vt patitur natura suarum diuersarum partium, vel etiam intelligi potest Gal. secundum aliquos, respectu partium, quæ carnosæ pingues, humectabiles, & viuificabiles sunt, & quæ propriè conducunt ad vitam defendendam, conseruandam, ac etiam diutius prorogandam, intra tamen terminum præfixum, vt dictum est, atque hæ partes possunt fieri humidiores ex Gal. nisi tamen valde excesserint in siccitate, ossa vero, licet nutriantur, augeantur, & vt sic etiam substantifice, ac qualitatiue humectentur (quod etiam forte Gal. lib. de Tabe. voluit per illa verba intelligere) non tamen per illa dicta à Gal. hoc lib. de Tabe cap. 5. vt ex sententia Thomæ de Garbo prius etiam dictum fuit, possunt fieri humidiora & vt sic videtur intellexisse de ossibus Gal. in Tech. cap. 59. dicens quod solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt, ac primæ nullo modo possunt fieri humidiores, at satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat, Interceptra autem in his spatia hac, vel illa humiditate complere possibile hæc Gal.

Ad

xi Ad illud de calore iuuenis,& pueri æquali,vel inæquali.

Respondetur quod maxima est dissensio circa hoc, an æqualis sit calor in puero,& iuuene,præterea an humidum radicale per totam vitam, & pro varietate ætatum idem numero maneat, & an quod restauratur fiat idem numero cum priori,vel secundum æquiualentiam, idcirco quomodocumquè hoc fiat, dicimus humidum radicale ita posse restaurari, vt vita hominis possit intra terminum præfixum,non autem vltra,extendi.

Vel etiam dici potest,vt respondeamus cathegoricè, & doctores sibi non esse cõtrarios demonstremus, quod cum dicunt calorem naturalem, & humidum esse æquale vel inæquale in iuuene,& puero, æquale,& inæquale sumunt pro eodem, vel diuerso aliqua ratione, & sic dicitur esse æqualis in substantia, & radice, sed inæqualis per accidẽs, auctus,aut dimunutus,magis vel minus iuxta subiecti conditionem, nam in subiecto sicciori idem calor est acrior, quàm in subiecto humidiori, vt etiam calor intensior apparet in materia densa,quàm in materia rara,quare in subiecto & materia humidiori, & rariori apparet blandior, & suauior,& ad tactum mitior, in subiecto vero, & materia sicciori & densiori opposito modo se habere videtur.

Ad decimamtertiam Rationem Qua demonstratur potissimum mutari complexionem, & vitæ principia, quod longissimum est, & multis probationibus confertum hoc solo satisfit, quod naturalis complexio, & quæcunque ibi mutari dicuntur,possunt quidem permutari in deterius,& in melius,vt ibi probatur, sed intra terminum latitudinis vitæ speciei,non extra, vnde qui ex melancolico mutatur in sanguineum plus quidẽ viuet,quàm si semper extitisset melancolicus,non tamen excedet viuendi terminum complexionis sanguineæ,ita qui mutat ætatis conditionem,& temperamentum,& sic de singulis.

Ad decimamquartam Rationem Potest Astrologus ex

varijs

varijs motibus conijcere ea, quæ naturaliter influunt in corpora, & si mala sint, arcere vi medicinæ, non tamen vltra terminum, hinc factũ existimo, vt Index Concilij Tridentini in suis regulis & Summus Pontifex D. Sixrus V. concesserit vsum Astrologiæ pro nautis, agricolis, & medicis, qua concessione facta medicis, aperte nobis insinuatur Astrologiam iudiciariam in hoc prodesse, quod varij morbi, & cognoscantur, & secundum necessaria curentur, an autem dictum illud conciliatoris verum sit alij, iudicent, ego falsum existimo.

Ad decimamquintam Rationem Periodus vitæ negatiuè est præfixa, videlicet nõ potest quis peruenire ad mille annos, positiue etiam & respectu Dei, qui omnia præuidit ab æterno; sed intra terminum latitudinis vitæ hominis, vita prorogari potest, & licet secundum naturam complexionis sit præfixus terminus negatiuè, scilicet quod melancolici non possunt transire terminum, & etiam positiuè, quia possunt peruenire ad suum vltimum, tamẽ quia hic terminus habet magnam latitudinem, & nos hunc ignoramus, ideo in hac latitudine potest prorogari vita, & in hac latitudine vsque ad vltimum terminũ non est præfixus terminus positiuè; si ergo melancolici cõplexio permutetur ad meliorem, etiam diutius posset viuere, & hoc nullum est inconueniens, dũmodo sit intra spatium latitudinis viuendi illius complexionis, vt etiã supra dictum est.

Illud Astrologorum, vt dicitur in prima probatione minoris, mortem pluribus contingere ex ortu infausto ducis, negandum est, vt prohibet etiam figuras formari D. Sixtus Quintus Pont. Opt. Max. in sua constitutione contra Astrologos ædita.

Ad secundam & tertiam, vt in principio, & in superioribus responsionibus, suum esse terminum toti, & partibus, & principia extendi intra suumm terminum.

Ad quartam probationem, dico posse medicinam præ-

parare

parare materiam, videlicet intra limites, & terminos. Item de illo, qui mutat regionis qualitatem, quod erat.

Quinta confirmatio, nam intra terminos videlicet vitam ratione climatis posset ille traducere, non extra.

Ad quod sequitur sexto loco de cõtrarijs dicitur, quod propositio intelligitur de contrarijs positiuis, non autem negatiuis, vt datur ens, non autem datur nihil, alij quidem dicunt vitam, & mortem esse contraria, non autem longitudinem, & breuitatem, sed esto esse verè opposita, tunc vera est propositio, nisi vtrunque contrariorum fuerit à natura, nam vita, & mors est naturalis, vnde quod non possit extra terminum latitudinis vita prorogari, est à natura, immo etiam implicat contradictionem naturaliter posse perpetuari vitam, & extra suum terminum speciei duci, quoniam si extra terminum, nulla esset ratio, cur non deberet perpetuari, & nulla virtus finita durat tempore infinito, & præsertim vbi fit continua actio, & reactio, atque ex his est.

Ad septimam & alia multa facilis responsio, vt in superioribus responsum est.

Ad octauam de anima, defectus producendi vitam non est ab anima, sed à principijs intrinsecis corruptionis corporis, vt sæpè dictum est, præsertim in argumento decimo sexto Secundæ Sectionis.

Ad nonam patet solutio ex dictis.

Ad decimam potest abbreuiari intra latitudinem termini speciei, vi pharmaci alicuius, sic etiam potest prolongari, non autem vltra.

Ita ad vndecimum, & vltimum præuideri causas morborum, & posse adhiberi remedia intra latitudinem sui termini.

Ad decimamsextam Rationem vt supradictum fuit ad primam rationem huius Secundæ Sectionis.

Ad decimamseptimam Rationem Fernelij eadem est

responsio, quæ data fuit ad tertium argumentum prioris partis disputationis, ne repetam quæ superius allata sunt copiosius.

Ad decimamoctauam Rationem fatemur vitam nostram esse breuiatam, vt etiam alimenta, & medicamenta sunt in suis virtutibus diminuta, vnde collocata est in sede quadam media à priori sibi statuta, quam impossibile est pertransire, intra hunc tamen terminum potest vita nostra prorogari, & breuiari, quia suam habet latitudinem.

Atque his similia, si quæ sunt, argumenta, ijsdem solutionibus diluuntur.

Summo Pontifici D. Sixto Quinto.

DIsputatio præsens suo iure poscere videtur, vt modus prorogandi vitam, de qua iam diximus, vltimo loco scriberetur, verum tanta est ista moles, vt in paruum opusculum transferri nequeat. Huc enim reuocanda esset tota fere medicina, & ea, quæ in ipsa traduntur, quæ omnia iuuant tum ad sanitatem augendam, & conseruandam, tum etiam ad defendendam à morbis, causisquè morborum, qua in re totus Galenus est occupatus, & tota cohors medicorum, veterum, & neotericorum intenta, ne igitur opusculi fines, ac terminos transiliamus, vnde ab omnibus argui merito possemus, ab ea disputatione prorsus nunc abstinendum existimauimus, in opus aliud, si vita comes fuerit, rem integram digesturi. Cæterum superest, vt quod antea feci, nunc iterum, ac semper exoptem, vt immortalis Deus tuæ Beatitudini concedere dignetur, vt vitam in multos annos producat, eamque incolumem perpetuo conseruet.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc volumine continentur.

A

B extremo ad extremum non fit transitus nisi per medium. fol. 24

Actus actiuorum fiunt in subiecto bene disposito. fol. 49

Aliquid esse factum vel creatum & esse secundum suam essentiam infinitum est impossibile. fol. 3

Ars non est potentior quam natura. fol. 3

Ars imitatur naturam. fol. 3

Ars est inferior quam natura. fol. 3

Ars quo modo se habeat circa naturam. fol. 3

B

Bilis excitat sua punctione intestina ad expulsionem. fol. 8

C

Calor innatus consumando humidum radicale debilitatur donec deficiat. fol. 6

Calor pueri & iuuenis an sit æqualis. fol. 42

Caussæ secundæ non mouentur nisi motæ à causa prima. fol. 5

Cœlum ex multis constare ex sententia Platonis. fol. 7

Complexio quid. fol. 7

Contrarium vnum si datur in natura, etiam datur aliud. fol. 10
Contrariorum vnum est priuatio alterius. fol. 51
Contraria manent in mixto fere violenter vnde quęrunt redire in suum proprium locum. fol. 51
Corpora quibus de causis corrumpantur. fol. 54
Gorpora cœlestia suo motu, lumine, & virtute stellarum resoluunt nostra corpora. fol. 12
Corpus nostrum est in perpetuo fluere. fol. 13

D

DEus omnia præuidit ab æterno. fol. 20
Deus est actus purissimus omni carẽs potentia continens perfectiones omnium rerum. fol. 5
Deus est prima rerum omnium caussa à quo vniuersa in suo esse, fieri, & conseruari, dependerit. fol. 5,
Dei præscientia non potest falli. fol. 4
Deus omnia cum numero, pondere & mensura produxit. fol. 4
Deus est causa immutabilis, & infallibilis. fol. 4
Deus omnibus tribuit esse quibusdam longius, quibusdam breuius. fol. 4
Dei scientia est causa rerum. fol. 4
Deus per suam scientiam omnia ab eterno produxit.
Dominus tuus ignis consumens est. fol. 10

E

EAdem ratio totius & partis. fol. 48
Eadem est via à Thebis ad Athenas. fol. 43
Efficiens vitæ propagationem est restauratio deperditi. fol. 5
Elementa existentia in composito naturali appetunt separationem. fol. 5

F

FOrma dat esse, & est principium operationum. fol. 17

Forma

Forma cœli non est infinita intensiue. fol. 17

G

GEneratio vnius est alterius corruptio. fol. 6

H

HOminis dies breues sunt, numerus mensium apud te est. fol. 4
Hominibus statutum est semel mori. fol. 13
Homo ex quatuor constat elementis. fol. 7
Homo si esset vnum quoddam non deleret, & si doleret, vnum esset genus remedij. fol. 8
Humidum est terminabile termino alieno. fol. 3

I

INfinita virtus intensiue vnica est. fol. 18
In corpore animalis multæ sunt contrarietates, quæ sunt causa mortis. fol. 6
Indiuiduum vnumquodq; habet propriam complexionem in quo aliud associari non potest. fol. 27

L

LIbro 4. Regum cap. 20. dictum fuit Ezechiæ iussu domini, dispone domui tuæ, cras morieris. fol. 37

M

MAraſmum verum non posse verè curari. fol. 36
Mensura & mensuratum sunt æqualia. fol. 16
Monstrua sæpe apparent in natura & in arte. fol. 36
Mors est vltimum proueniens & necessitate naturæ. fol. 6

N

NAtura est prior arte tempore, & in operibus præstantior. fol 3
Natura nihil facit frustra. fol. 51
Naturam plurima praua facere, & plura praua quàm probæ. fol. 60
Numerum dierum & tempus dedit. fol. 4

O

OMne compositum ex quatuor elementis est corruptibile. fol. 7
Omne compositum resoluitur in sua principia componentia. fol. 7
Omne compositum ex neruis arterijs est corruptibile. fol. 11
Omne genitum corpus vti genituræ, ita etiam interitus causas ab initio secum natas habet. fol. 12
Omnia præter Deum sunt finita, & virtutis finitæ. fol. 3
Omnis mutatio fit à contraria in contrarium. fol. 24
Ossa in profundum corporis sunt immersa sunt dura, densa, carent neruis, & arterijs. fol. 33

P

PArtes primæ, & solidæ non possunt fieri humidiores per nutrimentum. fol. 23

Q

QVicquid recipitur per modum recipientis recipitur. fol. 49

R

REs naturales agunt sine arbitrio. fol. 27
Res naturales habent certum numerum, & magnitudinem, ac terminum. fol. 2

S

SEnectus est secundum naturam vnde non euitatur. fol. 14

INDEX.

Scientia humana à rebus ſuſcipitur. fol. 4

T

TErmini vitæ naturales,& abbreuiati. fol. 3

V

VIta conſiſtit in calido & humido. fol. 35
Vita mortalium in manu Dei eſt poſita. fol. 4
Vigoris finitas & eſt communis formis exiſtentibus in materia. fol. 2
Virtus viuificatiua reſtaurans deperditum eſt finita. fol. 2
Virtus omnis in materia vel magnitudine exiſtens, finita eſt. fol. 2
Vnumquodquè indiuiduum habet terminum præfixum diuerſum tamen, pro varietate complexionis. fol. 3

Finis Tabulæ.

ERRATA.

præscientia pro præscientia pag 4. pitulta pro pituita pag. 8. atrijs pro arterijs pag.8. sentia pro sententia pag. 15. quotmudam pro quorundam pag 15. paruitatems pro paruitatem pag. 19. re mundi pro res mundi pag 19. septima ratio pro decimaseptima pag 23. super te. 24. pro te. 146. pag. 28 citotis fatentur pro citatis fatentur pag. 28. prolongauit pro prolongabit pag. 37. tegni pro techni pag. 32. & 33. secuado pro secando pag.48. applicet pro applicat pag 54. deest Negat per se posse in 3.opin. Nicoli ubi sequuntur verba quia nunquam apponi potest. pag.55. punet pro pugnet pag 59. non consistere indiuisibili pro non consistere in indiuisibili pag.59 querenti cuidam pro querens quidam pag.60. pro accidens pro per accidens per essentia pro per essentiam mensuretur mensurata pro mensura rata pag. 72. secundum Auic. pro secundum Auicennam pag. 73. que pro quodque pag. 80. perieranio pro pericranio pag. 85. cbafusionibus pro contusionibus pag 86. sita fractu pro ita factum pag 86. membrania pro membrana pag. 88. Medicæ pro medicinæ pag.91. Medma pro medicina pag.91. pertractari pro pertractaturi pag.91.

REGESTVM.

* A B C D E F G H I K L M N.

Omnes ſunt duerniones.

PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE, Apud Vincentium Accoltum.
M. D. LXXXVIIII.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N.

Omnes sunt duerniones.

ROMÆ. Apud Vincentium Accursium.
M. D. LXXXVIII.

OPERAZIONI EFFETTUATE, MATERIALI E TECNICHE

- Controllo della numerazione e numerazione a matita
- Smontaggio e spolveratura delle carte
- Lavaggio in acqua a 40° e de acidificazione in soluzione acquosa di idrossido di calcio di tutte le carte
- Rinforzo delle carte con soluzione acquosa (1-2%)di Tylose MH300p.
- Rinforzo della piega dei fogli e integrazione delle lacune con carta giapponese(502-517) della ditta Vangerow
- Cucitura con refe
- Cordoni cuciti su spaghi di canapa con grecaggio
- Capitelli cuciti su canapa con fili colorati
- Cartone durevole per la conservazione (non acido) della ditta Japico
- Restauro delle carte di guardia originali
- Carte di guardia Ingres (ditta Vangerow)
- Indorsatura del dorso con tessuto di cotone (pelle d'uovo)
- Restauro della coperta originale: integrazione delle lacune con pelle di capra conciata al vegetale e rinforzo del dorso
- Adesivo per il restauro delle carte: Tylose MH300p al 4% in soluzione acquosa
- Adesivo per la legatura: Tylose MH300p (4%) + Vinavil 59 (15%)
- Contenitore per la conservazione del volume realizzato con cartoncino durevole per la conservazione della ditta Vangerow.